1180.

DE

M. TULLI CICERONIS EPISTULIS

EARUMQUE PRISTINA COLLECTIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

TRADIDIT

LUDOVICUS GURLITT

HOLSATUS.

TYPIS EXPRESSIT H. GERLACH, FRIBERGAE SAXONIAE.

MDCCCLXXIX.

VENUM DAT ROB. PEPPMUELLER, GOTTINGAE.

HERMANNO SAUPPE

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

S.

Non vereor, ne excusatione mihi opus sit verba facturo de M. Tulli Ciceronis epistulis, quas *ad familiares* nominare consuevimus: nam profecto neque indignae sunt, in quas iterum iterumque studium conferatur, neque tantopere pertractatae, ut, qui eas denuo aggrediatur dicta dicere coactus sit. Immo vero tantum abest, ut harum epistularum studium quodammodo ad finem perductum sit, ut quasi in cunabulis iaceat. Nam quod attinet ad Tulli verba via ac ratione restituenda, neminem puto esse, qui etiam nunc Orellii iudicium amplectatur, id nimio studio agentis, ut ea sola Medicei fide tradita, reliquos libros manuscriptos ab hoc derivatos esse demonstret. Quum vero praestantia eorum codicum, quos non e Mediceo, sed ex altiore quodam fonte manasse constat, his ipsis demum annis cognita sit, messis futura, ut aiunt, adhuc in herba est. Nam Turonensem quidem septem primos libros continentem Ch. Thurot[1] anno 1874 diligenter excussit, Harleianos autem, quorum praestantior libros IX—XVI, inferior libros I—VIII complectuntur, Fridericus Rühl[2] non penitus in lucem protulit, sed quantum sufficere arbitrabatur ad fidem horum codicum probandam. Itaque etiam quo affinitatis vinculo singuli codices inter se cohaereant adhuc non satis liquet.

Neque tamen in una hac re epistularum studium claudicat. Omitto, quod de multis epistulis dubium est, non dico, quo die, sed quo mense, quo anno datae sint, attamen Bruno Nake[3] et O. Eduardus Schmidt[4]

---

[1]) Biblioth. de l'école des hautes études. Paris. 1874.

[2]) Rhein. Mus. 1875. vol. XXX. pag. 26 sq. Wissenschaftl. Monatsblätter. 1878. pag. 25 sq.

[3]) [4]) vide infra.

nonnullis exemplis docuerunt quantopere Iohannis de Gruber,[1] qui optime de hac re meritus erat, atque singulorum editorum iudicia emendatione egerent et quantum accurata diligentia in tempore epistularum terminando profici posset. Omitto, quod ne nunc quidem consensio inter homines doctos assecuta est epistulae ad M. Brutum sintne genuinae an spuriae, quamquam sperandum est, fore, ut Nipperdei ratio luculentissima commentatione, quam scripsit Schmidtius *de epistulis et a Cassio et ad Cassium post Caesarem occisum* (Lipsiae 1877) aucta atque confirmata ampliore quaestione, quam idem homo doctus de hac re instituturus est (l. c. pg. 57) omnibus probetur. Quum vero has epistulas praeter libri I epp. 17 et 18 genuinas esse velint, hanc sententiam etiam eis, quae infra de epistulis ad fam. proponentur, quodammodo fultum iri arbitror. Verum haec non tangentur nisi occasione oblata. Alia sunt, quae non minus accuratam quaestionem expetant, sed vel in maioribus tenebris iacere videantur. Etenim epistulae ad fam. a quonam et quo tempore collectae atque editae sint, utrum sint integrae, an partem efficiant maiorum quorundam corporum, quae norma valuerit in epistulis colligendis, an sint sine ulla ratione congestae: de omnibus his rebus homines docti quaesiverunt illi quidem, neque tamen effecerunt, ut aut singulorum iudicia consentirent, aut quidquam pro certo haberi posset.

Quae quum ita sint, non alienum esse putavi me in historiam epistularum ad fam. indagandam operam conferre, ut eis, quae adhuc dubia atque incerta esse dixi, quoad eius facere possem, lucem afferrem.

Ut igitur primum de origine huius corporis agam, duae potissimum sententiae prorsus diversae altera a Nakeo in *historia critica M. Tulli Ciceronis epistularum* (Bonn 1861), altera ab Hofmanno in praefatione epistularum selectarum (I. Berlin 1860) propositae sunt. Atque ille quidem probare studet excerptas esse epistulas ad fam. Frontonis aetate e singularibus quibusdam epistularum corporibus, quas multo ante editas in omnium manibus fuisse ex antiquorum grammaticorum testimoniis concludit. Hofmannus vero hanc collectionem epistularum omnium antiquissimum a Tirone Ciceronis liberto factam esse, ampliores vero illas aliquanto post sive ab eis, ad quos Cicero epistulas dederit, sive ab horum heredibus editas esse iudicat.

Argumenta et ratiocinationes, quibus ad hanc suam uterque sen-

[1]) Quaestio de tempore atque serie epistularum Ciceronis. Sundiae 1836.

tentiam adductus sit, deinceps me persequi opus esse non arbitror, quum nobis contra id iudicium dicendum sit, quo et hi duo homines docti, et omnes,[1] qui de hac re copiosius egerunt, tanquam fundamento totius quaestionis usi sunt.

Itaque satis habemus monuisse infractam videri Nakei sententiam vel maxime eis quaestionibus, quas accuratissimus hic homo ipse instituit de tempore ac serie epistularum ad Caelium (Symb. phil. Bonn. 1864—67. pag. 393 sqq.) ad Plancum (Progr. des Luisenstaedter Gymn. Berlin. 1866) ad D. Brutum (Jahrb. für cl. Phil. VIII. Sppbl. 1876), hoc est de epistulis VII. 1—7, II. 8—16, X. 1—24, XI. 4—26. Quas epistulas quum fere integras neque maiore unquam numero editas esse demonstret, refutat id, quod in *historia critica* pag. 19. posuit: priores duodecim libros ex excerptis constare. Immo negamus nostro iure libros II, VII, X, XI excerpendo natos esse, neque est, cur non idem de libris I, III, VI, VIII, IX, XIV, XVI faciamus, quos illo modo ortos esse Nakeus non tam demonstravit, quam e fallaci quadam analogia, si ita dicere licet, conclusit (pag. 16). Accedit, quod etiam in epistulis I. 1—9, III. 1—9, XII. 1—12 nullam fere ab editore intermissam esse facili opera probari potest, quamquam de extremis his Drumannum[2] et Schmidtium[3] aliter iudicasse video. Tres (IV, V, VII) igitur libri reliqui sunt, in quos Nakei hoc iudicium cadere nescio an quis dicat, quod tamen nos nullo modo possumus accipere, etiamsi certis argumentis convincere nequeamus. Neque enim putamus eum, qui has epistulas ediderit, quicunque fuit, tam inconstantem fuisse, ut alias epistulas ad extremam omnes ederet, aliarum nec deterrimarum ut Pompei et Caesaris satis haberet singulas vel binas in volumina recipere.

Nec minus offensionis Hofmanni de huius corporis origine sententia accuratius inquirenti praebet. Nam quomodo explicemus, ut gravissima afferam, quod Planci et Dec. Bruti epistulae fere integrae, ut vidimus, in hoc corpore servatae sunt, e Pansae et Hirti epistulis, quarum tertium et nonum librum antiquos novisse Nonius Marcellus (pag. 92, 21; pag. 450, 3) testis est, ne una quidem ad nos pervenit, quamquam eodem tempore atque illae et in eadem parte Italiae prope Mutinam et datae

[1]) G. Boissier, sur la manière dont furent recueillies et publiées les lettres de Cicéron. Paris. 1863. — Leighton, hist. crit. M. Tulli Ciceronis epist. ad fam. Lipsiae 1877. pag. 18 sq. – Teuffel, Gesch. der röm. Litt. 1870. pag. 274.

[2]) Gesch. Rom's II. 125. — [3]) l. c. pag. 37, 47.

et acceptae sunt? Num porro credi potest Tironem omnium epistularum, quas Cicero ad Pompeium et ad Caesarem dederat, non plus quatuor reperire et publicare potuisse? Profecto maluisset, opinor, epistulas ineditas manere, quam tam imperfectum ac lacunosum corpus efficere. Etiam hoc praeter opinionem accidisset, si Tironis collectio non periisset, ampliores istae et aliquantum post editae, quae epistulas maioris auctoritatis continerent penitus funditusque periissent, quum par esset uberioribus epistularum corporibus editis tenue illud utpote supervacaneum brevi neglectum iacuisse atque oblivione obrutum esse.

Verum sufficiant haec ad Hofmanni sententiam in dubium vocandam, neque enim poterit stare, si nobis contigerit id iudicium refellere, quod Hofmanno cum Nakeo, Boissierio, Teuffelio, Leightone, aliis commune esse vidimus, novisse antiquos binas epistularum Tullianarum collectiones, maiorem, quae quum multa corpora singularia,[1] tum tres libros ad Caesarem, quatuor ad Pompeium, duos ad Cassium, novem ad Hirtium vel omnium etiam plures complecteretur, minorem hanc alteram, quam *epistulas ad familiares* vocare consuevimus. Sic enim statuo: sedecim libros epistularum ad fam., tres ad Quintum fratrem, duos ad M. Brutum omnes denique — si excipis epistulas ad Atticum —, quos fortunae gratia nobis voluit servari, unius eiusdemque collectionis esse, neque praeter hanc collectionem cunctas Tulli epistulas, quae quidem divulgatae sunt, continentem, alteram quandam unquam fuisse. Quod nolim ita accipias, quasi effecerint cunctae epistulae unum corpus, sed ita, ut eas ab eodem homine collectas et eodem consilio etiamsi non eodem omnes tempore editas esse credas. Quae quidem sententia, quamquam per se simplicissima, prorsus negligenda visa est omnibus, qui de hac re quaesiverunt, tamquam pugnaret contra gravissima antiquorum grammaticorum testimonia. Unum Carolum Fridericum Hermannum, quem ante hos triginta tres annos[2] occasione oblata rectam hanc de origine epistularum ad fam. opinionem indicasse potius quam exposuisse video, quum illam discrepantiam non expediret, nemo audivit. Haec autem difficultas nobis obstat, quod inter eos libros, quos aliquando divulgatos fuisse antiqui scriptores testantur, fuisse etiam apparet, qui epistulas ad eosdem datas continuerint,

[1]) vide: Nake hist. crit. pag. 10, ubi una tabula quaecunque aliquando divulgata erant, praeterea, quae ad nostram aestatem pervenerunt, comprehendit.

[2]) Zur Rechtfertigung der Aechtheit des erhaltenen Briefwechsels zwischen Cicero und M. Brutus. I. Abtheilung. Göttingen 1845 pag. 21.

quorum quaedam epistulae etiam inter epistulas ad fam. leguntur. Habes tres hos Noni locos: pag. 286. 12, ubi de libro III. *ad Caesarem*,[1] pag. 293. 29, ubi de libro IV. *ad Pompeium*, sermo est, quum epistularum ad Caesarem non plures tribus (VII. 5, XIII. 15, 16), epistularum ad Pompeium una ad nostram aetatem pervenerit (V. 7); Denique idem Nonius pag. 278. 5, quum locum, qui est in libri *ad senatum* (hoc est libri quinti decimi) epistula 16, affert, praemittit verba: *M. Tullius ad Cassium lib. I.*, quamquam liber alter ad eundem, quem Nonio haec scribenti notum fuisse iure colligimus, nunc quidem non exstat: nam septendecim epistulae et ad Cassium et a Cassio datae, quae in hoc corpore leguntur, ita dispertitae sunt, ut duodecim primum locum libri XII. teneant, cui libro inde nomen inditum est, quinque medio libro XV. (14 — 19) reperiantur. Tribus igitur his testimoniis ut satisfacerent, homines docti Nonium vel eius auctorem praeter epistulas ad fam., unde multa eum hausisse luce clarius e ratione locorum afferendorum apparet,[2] maiorem illam collectionem novisse atque in suum usum convertisse perhibuerunt, quae quum alia corpora singularia, tum libros ad Caesarem ad Pompeium, ad Cassium complecteretur. Itaque in eo tantum homines docti adhuc discordes sunt, quod alteri epistulas ad fam. excerpendo e singularibus illis corporibus profectas esse, alteri tamquam primum epistularum corpus a Tirone editum esse statuunt.

Ac nobis quidem, quum unam epistularum collectionem antiquitus fuisse velimus in eo potissimum erit elaborandum, ut Nonii illa testimonia aut falsa esse aut certe non contra hanc sententiam pugnare demonstremus. Quam quidem disserendi rationem ne quis improbet atque vituperet, contempletur animo quantopere haec, quam defensuri ac laudaturi sumus, sententia reliquas iudicii simplicitate ac rei probabilitate superet.

Primum enim tenendum est antiquos grammaticos et rerum scriptores, qui proximis post Ciceronem saeculis fuerunt, quum eius epistulas plus centum quinquaginta locis vel in universum commemorent vel singularum verba afferant (cf. Nake l. c. pag. 24), tamen nusquam ullo verbo alterius cuiusdam epistularum collectionis mentionem facere. Attamen, si Noni vel Gelli temporibus, ut volunt recentiores omnes, utraque

---

[1]) idem commemorat epistularum ad Caesarem lib. I. pag. 270. 287. 305. 320. 327. 336. 369. 413. lib. II. pag. 32. 340. lib. III pag. 436.

[2]) cf. Nake. hist. crit. pag. 25.

collectio pervulgata atque in usu erat, aliud nomen huic, aliud illi debebat esse, neque licebat grammaticis in loco quodam afferendo certum hoc nomen reticere. Nunc autem, quod uterque, inprimis Gellius, diligenter locorum libros et nomina eorum indicat, ad quos epistulae datae sunt[1] nunquam vero nomen nescio quod istius collectionis, hoc iam satis grave testimonium est eos alteram epistularum collectionem omnino non novisse. Ubicunque vero antiqui grammatici locum afferunt desumptum ex epistulis eius nominis, cuius quaedam etiam in epistulis ad fam. exstant, is locus inter has reperiri solet; nam tribus illis locis, quibus hanc regulam violatam esse vidimus, non ita multum tribuet, quicunque eorum naturam diligentius examinaverit et ad reliquorum numerum respexerit. De his igitur modo videbimus. Antea vero velim hanc legem, quam posui, in universum probari. Itaque eis verbis, quae Nonius ex epistulis affert suum quemque locum in hoc corpore respondere hic locorum conspectus doceat:

pag. 259. 15.	*Cicero in epistula ad Cassium*	=	XV.	14.
pag. 291. 11.	*M. Tullius in epist. ad Cassium*	=	XV.	16.
pag. 278. 2.	*M. Tullius ad Cassium lib. I.*	=	XV.	16.
pag. 264. 39.	*M. Tullius ad Catonem*	=	XV.	3.
pag. 264. 38.	*M. Tullius ad Catonem*[2]	=	XV.	4.
pag. 274. 2.	*M. Tullius in ep. ad senatum*	=	XV.	2.
pag. 109. 14.	*M. Tullius ad Curionem*	=	II.	2.
pag. 421. 32.	*M. Tullius ad Dolabellam*	=	IX.	14.
pag. 83. 25.	*M. Tullius ad Varronem Paeti*	=	IX.	20.

Reliquarum autem epistularum Hirti, Planci, Axi, Calvi, Caesaris iunioris, fili, quas idem haud raro citat, nihil omnino hodie exstat. Item ex eis epistulis, quas Quintilianus commemorat, una illa ad Appium Claudium reperitur in epistulis ad fam. (III. 8), reliquarum *ad filium, ad Caerelliam* nihil ad nos pervenit nisi fama. Eas denique epistulas, unde Gellius locos quosdam hausit, quum sint Servi Sulpici, Asini Pollionis, quorum epistularum omnino quaedam in hoc corpus receptae

---

[1]) Noct. Attic. I. 22. 19: Ita enim scriptum est in libro epistularum M. Ciceronis ad L. Plancum et in epistula Asini Pollionis ad Ciceronem verbis his (et = et quidem). — Nonius (pag. 83. 31): Cicero ad Varronem epistula Paeti, cf. Nake. l. c. pag. 25 not. 41.

[2]) pag. 438. 33. sane idem verba tamquam ex epistula „ad Catonem“ desumpta affert, quae in hoc corpore non exstant. Quo de loco quid iudicandum sit exeunte hac commentatione exponetur.

sint, etiam nunc habemus (IV. 4, X. 33). Quod quidem, quum eadem ratione apud Suetonium (ep. ad Dolabellam = ad fam. IX. 10) apud M. Ann. Senecam (ep. Cassi ad Ciceronem = ad fam. XV. 19), apud Charisium (ep. ad Torquatum = ad fam. VI. 4) accidat, quam male cum pristinis de origine atque compositione huius corporis sententiis, quam bene consentiat cum ea, quam nos proponimus, in aperto est. Nam si epistulae ad fam. excerpta essent, nonne saepius accidisse verisimillimum esset, ut locus quidam e primigeniis illis libris desumptus, in hoc corpore desideraretur, quamquam aliae ad eundem datae in hunc numerum receptae essent? nonne etiam si Hofmanni sententiam accipimus saepius eventurum fuisse putandum esset, ut epistula, quam grammaticus e secundariis atque uberioribus corporibus petivisset nunc in Tironis editione frustra quaereretur, quum huic nondum ad publicandum praesto fuisset?

Iam vero ad cardinem totius quaestionis accedimus, quum de eis locis agendum sit, quos prorsus abhorrere ab hac quam proposui sententia omnes adhuc consenserunt.

Atque quoniam Nonius praeter novem locos, quos modo congessimus, nullos ex epistulis ad fam. in „compendiosa doctrina“ affert, inprimis librum XV. in suum usum convertisse apparet. Quid vero, quod etiam ille locus, quem tamquam e libro primo epistularum ad Cassium desumptum inducit, in eodem hoc libro reperitur? Num putabimus eum epistulas ad Cassium bis (pag. 259. 15, 291. 11) ex hoc libro attulisse,[1] quum librum non significarit, semel e singulari quodam corpore complures libros ad Cassium continente? an quomodo explicabimus, quod unam eandemque epistulam (XV. 16) modo (pag. 291. 11) ita inducit, ut libri mentio omnino non fiat,[2] modo praemissis verbis: *M. Tullius ad Cassium lib. I.*?

Itaque si non ex Hofmanni sententia statuerimus in singularia illa

---

[1]) Etiam Macrobius (Sat. II. 4 pag. 289) libri numero non adscripto affert: in epistula ad C. Cassium = ep. ad fam. XII. 3. 1, unde pendet Saresberiensis Policratici lib. III. c. 14. pag. 201. Ed. Lugd. Batav. 1639.

[2]) Quod libri index omissus est, hoc eadem ratione in epistulis ad Caesarem iuniorem, ad alios apud Nonium accidisse non ignoro. Verum paullo alia res est: nam quum epistularum ad Caesarem decies ter mentio fiat, ter, quum fiat epistularum ad Caesarem iuniorem tricies, bis index libri desideratur. Item locis e Hirti epistulis desumptis quater libri notio addita, semel omissa est, ita ut appareat regulam esse librum addi.

corpora easdem epistulas receptas fuisse, quae iam fuissent in editione Tironiana, — qua in re mirum esset, cur non Gellius, Nonius alii scriptores hac utpote supervacanea uti desiissent, — una relicta est ratio, ut dicamus hausisse Nonium etiam hunc locum ex epistulis ad fam., delendum autem indicem *lib. I.* ut ex errore nescio quo profectum, quum praeter epistulas XII. 1—12, XV. 14—19 nullae unquam epistulae sive a Cicerone ad Cassium, sive a Cassio ad Ciceronem datae publicatae sint. Quam quidem rationem ne quis vituperet, meminerit nullam fere fidem in locis afferendis tribuendam esse Nonio, quocum, ut Buecheleri verbis utar (Rhein. Mus. XIII. 596) qui comparari posset levitate et stupiditate neque antiquitas neque nostra aetas ullum grammaticum tulit.[1]

Neque puto quemquam uni huic Nonii testimonio tantum tributurum fuisse, ut inde aliquid de pristina epistularum conditione concluderet, nisi duo vel tria illa, quae indicavimus, accederent.

Quum qui epistulas ad fam. collegit hanc normam sequeretur, ut respiceret ad nomina eorum, qui singulas epistulas sive misissent sive missas accepissent, tamen septies vel octies commisit, ut epistulae ad eosdem datae partim in hoc partim in illo libro legerentur. Quarum epistularum hic est conspectus: leguntur epistulae ad:

Iul. Caesarem	datae et	VII. 5	et	XIII. 15. 16.
Minucium Thermum	„ „	II. 18	„	XIII. 53—57.
Munatium Plancum	„ „	X. 1—24	„	XIII. 29.
Servium Sulpicium	„ „	III. 1—4, 6	„	XIII. 17—28ᵃ.
[Titium[2]	„ „	V. 16	„	XIII. 75].
Cassium Longinum	„ „	X. 1—12	„	XV. 14—19.
M. Claud. Marcellum	„ „	IV. 7—11	„	XV. 9.
Trebonium	„ „	X. 28	„	XV. 20. 21.

Quarum epistularum quum Nakeus recte moneret alteram quamque partem inveniri in libro aut tertio decimo aut quinto decimo alteram esse librorum I.—XII., cur id factum esset certam causam rationamque non vidit, neque viderunt reliqui homines docti.

---

[1]) cf. etiam Schottmüller (Symbol. ph. Bonn. 1864. pag. 810). P. Schmidt de Nonii auctorit. gramm. pag. 92. — Sic Nonius, ut pauca afferam pag. 96. 32 verba, quae sunt e Ciceronis de Oratore (III. 29) libris de deor. nat. et vice versa bis (pag. 185. 11, 218. 25) quae sunt e libro II. de nat. deor. libris de Oratore tribuit, quae in Terenti Hecyra leguntur ex Heautontim. (pag. 318. 21), quae in Aeneidos libro V., e Georgicis (pag. 318. 28) esse desumpta vult.

[2]) de his epistulis vide quae Nakeus (pag. 3 not. 10) disputavit.

Attamen, quod quidem attinet ad epistulas ad Caesarem, ad Thermum, ad Plancum, ad Sulpicium, ad Titium datas, res tam in aperto est, ut explicatione fere non egere videatur. Nam quoniam liber XIII. nihil continet, nisi epistulas commendatitias, num quid miri habet, quod in eo etiam epistulae commendatitiae ad Thermum, ad reliquos datae leguntur, quorum aliae epistulae neque vero commendatitiae in aliis libris locum tenent? Immo ne vitari quidem id potuit ab eo, qui epistulas libri XIII. e reliquis elegit.

Qua re cognita etiam de collocatione epistularum XIII. 15. 16 recte iudicabimus. Nam sicut et epistulae commendatitiae et ceterae epistulae ad eosdem datae ad nostram aetatem pervenerunt, ita etiam potuit accidere, ut epistulae commendatitiae, h. e. libri tertii decimi, non perirent, reliquae vero, quae ad eundem sunt, ad extremam omnes eadem ruina perirent, qua tot alias perisse querimur. Haec igitur sors fuit epistularum ad Caesarem.[1] Quod vero praeter epistulas XIII. 15. 16 etiam libro VII. (5) una ad Caesarem data servata est, hoc nihil contra nos efficit; nam et haec commendatitia collocata est ante epistulas ad Trebatium datas, nimirum ea de causa, quia Trebatius hac epistula Caesari commendatur, ad quem tunc profecturus erat et in cuius castris inde versabatur. Sin vero consilium quoddam editoris agnoscere nolis, rem etiam sic explicare licet, ut sumamus Trebatium simul cum eis epistulis quas a Cicerone accepisset, reddidisse etiam hanc epistulam commendatitiam vel eius exemplum, editorem autem recepisse epistulas in volumina nulla argumenti ratione habita eodem ordine, quo eas accepisset. Valet enim me iudice de collocatione epistulae VII. 5 idem atque quod de epistula illa V. 9, ad Pompeium data, ut non tam explicatione quam excusatione egeant. Saepius enim recedunt a certa epistularum disponendarum regula non solum eae epistulae, quae quamquam recte in eodem libro aliis epistulis interiectis leguntur (III. 5 et 12; XII. 47—61 et 65), sed etiam Cassi, Treboni, Marcelli epistulae, quum in binis libris dispositae sint. Itaque, ut ex altero libro epistularum ad fam. in alterum, ita ex eis libris, qui nunc quidem amissi sunt, antea vero cum his quodammodo coniuncti erant, duas in universum epistulas in hoc corpus irrepsisse facile crediderim. Quae causa huius rei fuerit hoc loco accura-

---

[1]) et simili ratione epistularum ad M. Brutum, quarum praeter commendatitias epistulas XIII. 10—14 duo tantum libri ad nostram aetatem pervenerunt. cf. C. Fr. Hermann l. c. pag. 20.

tius quaerere non placet, quia post melius intellegetur. Nihilominus singulis locis pertractatis, qui nobis obstare videbantur, rem iam ad hunc finem productam esse censemus, ut praeter unam collectionem cunctas Tulli epistulas complectentem alteram fuisse certo iudicio negemus. —

Iam quaerendum nobis est, quae fere fuerit huius collectionis forma et quas partes in ea tenuerint epistulae ad fam. Atque hoc omnibus libris commune fuisse vidimus, ut compositae essent epistulae eo ordine, ut quae eiusdem nominis essent sese exciperent. Apparet igitur rem ipsam tulisse ut tota collectio variam speciem praeberet: nam ad alios datae singulae tantum exstabant, ad alios datorum maxima copia fuit. Si vero cum eis, quarum complures libros exstitisse constat, dico cum epistulis ad Quintum fratrem, ad Marcum Brutum, ad Hirtium, ad Pansam datis, conferimus epistulas ad fam., inter has nullas esse animo occurrit, quae uno libro ampliores sint. Nam epistulae ad Cassium dispertitae illae quidem sunt in duos libros, neque vero idcirco, quia uno libro contineri nequissent, et quum in libro II. (8—16) epistulae a Cicerone ad Caelium datae locum teneant, liber VIII. eas complectitur quas Coelius ad Ciceronem dedit. Quum vero nusquam tradatur aut harum epistularum aut reliquarum, quae in hunc numerum receptae sunt, plures unquam libros fuisse,[1] hanc collectionis partem eas epistulas continere nescio an liceat statuere, quae quum singulae non sufficerent ad suum quaeque corpus explendum, uno omnes corpore congestae sint. Qua ratione etiam optime intelligitur, quomodo factum sit, ut earum epistularum, quarum complures libros fuisse accipimus, Axii, Caesaris iunioris, Calvi, fili, Hirti, Nepotis, Pansae, (Caesaris, Pompei)[2] nisi in libro XIII, nullae inter epistulas ad fam. legantur: Nam quum qui epistulas in volumina redegit id potissimum ageret, ut epistulas, quae ad eundum sunt, uno loco collocaret, certe ab hac regula, quam sibi imposuit, sua sponte non recessit:

Quid vero causae fuisse putemus, cur aliquando tamen etsi raro recederet ab hac regula, difficillimum est dicta. Prorsus enim reicienda est ea sententia, quae a Teuffelio (l. c. pag. 276) proposita, a Leightone exposita ab eo homine docto, qui de huius commentatione

[1]) hoc non valere de epistulis libri XIII. in aperto est. De eadem re vide infra.

[2]) quum epistularum „ad Caesarem“ et „ad Pompeium“ singulae tantum in hoc corpus migrarint hos libros etsi caute adnumero.

disseruit,[1] laudatur. Qui, quum ex ea tabula, quam supra ante oculos posuimus, alteram quamque partem earum epistularum, quae contra regulam dispositae esse videantur, esse aut in libris I.—XII. colligant, aut in libris XIII. et XV, huius rei explicandae vel excusandae unam hanc rationem relictam esse censent, ut libros I.—XII. primum per se collectos in ordinem redactos, publicatos esse statuant et post eos editos Tironem — quem editorem esse volunt, ac iure quidem, ut modo videbimus — quatuor ultimos libros addidisse ex eis epistulis illos compositos, quae aut relictae essent aut post editum prius corpus in eius manus pervenissent. (cf. Leighton. l. c. pag. 25.)

Ac primum liber XIV. epistulas ad Terentiam, liber XVI. epistulas ad Tironem datas, denique eam partem epistularum Tullianarum continent, quam Tiro, quum posset partim facillime assequi, partim ipse ab initio possideret, procul dubio simul cum priore epistularum corpore editurus fuisse putandus est.

Praeterea in prioribus libris nullae leguntur neque ad Terentiam, neque ad Tironem datae, quibus has *tanquam supplementum* additas esse dicere possis.

Tum, qui ita iudicant in eo potissimum errant, quod naturam libri XIII. cognitam non habent et eas epistulas contra rationem dispositas esse censent, quae partim in hoc libro partim in reliquis leguntur, quum eos fugiat commendatitias epistulas ab editore huius corporis antea e tota epistularum copia electas esse, quam ullae epistulae editae fuerint.[2]

Revera igitur praeter epistulas V. 7 et VII. 5 eae tantum praeter exspectationem transpositae sunt, quae sunt:

ad Cassium XII. 1—12	et	XV. 14—19.
„ Trebonium X. 28	„	XV. 20 et 21.
„ M. Marcellum IV. 7—11	„	XV. 9.

Quin etiam collocationi epistulae XV. 9. nimiam vim tribuerunt, quicunque de compositione huius corporis egerunt, quum non consulto, sed facili errore factum esse mihi quidem persuasum sit, ut haec epistula ad M. Claudium Marcellum data copularetur cum eis, quae sunt ad C. Claudium Marcellum[3] (XV. 7. 8. 10. 11). Quod si conceditur librum

[1]) Litter. Centralbl. 1877. No. 44. pag. 1478.

[2]) De hac re modo accuratius disputabitur.

[3]) In cod. Med. epistulam 7 praecedit nona, atque quum haec M. Marcello inscripta sit, idem praenomen illi adhaeret; Cratander recte praebet C. Marcello ex con-

XV. non tam libris I. — XII, quam libris X. et XII. oppositum esse dicendum est, neque vero minus negandum est horum esse supplementum: nam constat liber XV. epistulis prioribus annis datis (703—710), quam epistulae librorum X. et XII. (710 et 711), neque intelligitur, quid editorem epistularum, qui tot Cassi epistulas priore illo corpore ediderit, potuerit impedire, quin simul reliquas ederet. Quis enim revera putabit cum cunctas epistulas libri XV. post pervulgatos demum reliquos libros reperisse, vel etiam consulto quinque illas Cassi epistulas diutius retinuisse?

Itaque missa ista sententia, qua nihil lucramur, aliam viam ingrediamur!

Atque ante omnia quidem non solum de collocatione epistularum sed etiam de earum tempore quaerendum esse censeo. Quod qui fecerit eum neque fugiet certum hoc inter epistulas libri XV. et librorum X. et XII. intercedere discrimen, quod in altero leguntur epistulae, quae post,[1] in alteris, quae ante ineuntem annum 710 a. u. c. datae sunt, neque id casu factum esse dicet, quum ab utraque parte proxime ad hunc temporis terminum, quem indicavimus, accedant. Quin longius hac via progredientibus nobis mirum quantopere libros X. et XII, quibus addere debemus etiam librum XI, et a libro XV, et a reliquis omnibus eadem ratione differre apparet. Datae enim sunt epistulae:

libri X. 1—24. ad Plancum et a Planco inde ab cr. Kal. Oct. 710,[2] usque ad a. d. V. Kal. Sext. 711 (ep. 24).

— 25. et 26. ad Furnium mense Maio et sive exeunte m. Iunio sive ineunte Quinct. 711.[3]

— 27. ad Lepidum m. Martio 711.

— 28. ad Trebonium m. Febr. 711.

— 29. ad Appium pr. Non. Quinct. 711.[4]

— 30. Galbae a. d. XVI. Kal. Maias. 711.

— 31—33. Asini Pollionis et a. d. XVII. Kal. April. et a. d. VI. Id. Iun. et ineunte m. Iunio 711.

— 34. Lepidi m. Maio 711.

---

iectura ne an cod. Turonensem secutus dubium est, cf. ed. Baiter. vol. IX. adnot. crit. pag. LXII.

[1]) exceptis epistulis XII. 17—20, de quibus infra sermo erit.

[2]) Nake Progr. l. c. pag. 3.

[3]) post Planci et Bruti coniunctionem (cr. a. d. VIII. Kal. Quinct.) et post hunc nuntium Romam delatum.

[4]) Quem diem ipsi epistulae adscriptum cur Wesenbergius non receperit, sed

libri XI. 1. Dec. Bruti ad M. Brutum. cr. Non. April 710.[1]

— 2 et 3. D. Bruti et Cassi ad M. Antonium exeunte Sext. 710.[1]

— 4—26. ad D. Brutum et a Bruto inde ab exeunte m. Sept., sive ineunte m. Oct. 710[2] (ep. 4), usque ad cr. a. d. V. Id. Quinct. 711[2] (ep. 15).

— 27 et 28 ad Matium et a Matio et a. d. V. Kal. Iun. et exeunte m. Maio 710.

— 29. ad Oppium ineunte m. Quinct. 710.

libri XII. 1—12. ad Cassium et a Cassio inde ab a. d. IV. Non. Maias usque ad ineunt. m. Quinct. 711 (ep. 10).

— 13. L. Cassi Id. Iuniis 711.

— 14 et 15. Lentuli a. d. IV. Non. Iun. 711.

— 16. Treboni a. d. VIII. Kal. Iun. 710.

— 17—30. Cornifici 17—19 (20?) anno 708, 20—30 ab anno 710 ad exeunt. m. Maium 711.

Inter nonaginta tres igitur epistulas librorum X, XI, XII, si excipimus XI. 1, XII. 17. 18. 19, nullam legimus, quae ante Maium mensem anni 710 data sit. Contra, si cunctas epistulas librorum I.—IX, XIV, XV. perlustraveris, quae sunt ducentae viginti una, nonnullas invenies, quae ad medium annum 710 accedant,[3] unam (IX. 24), quae exeunte mense Februario anni 711 scripta, extra hos fines egrediatur.

Manifestae igitur huius partitionis, qua etiam epistulae ad eundem datae, ad Cassium dico, dirimuntur quid causae esse dicemus? Poterit quispiam fortasse suspicari id consilium editoris fuisse, ut totum hoc corpus divideret in volumina, quorum uno quoque certum quoddam Tulli aetatis tempus circumscriberetur, effici autem tale volumen libris X—XII, quum eas epistulas contineat, quae datae sunt post Caesarem occisum. Sed alterum eius modi volumen quaerenti brevi persuasum erit frustra se operam consumere: nolo igitur hac in cogitatione repellenda multus esse.

---

annotarit: cr. anno n. c. 711 (paullo ante XI. 22), equidem non video. Recte autem fecit, quod retulit hanc epistulam in annum 711, quum de Gruber et Baiter de anno dubitaverint, est enim eiusdem fere temporis atque ep. XI. 22.

1) cf. Schmidt. l. c. pag. 54. — 2) Nake Iahrb. l. c. pag. 651 et 660.

3) VI. 15 e Glandorpi coniectura Ioh. de Grubero, Wesenbergio probata, paulo p. Id. Mart. 710 data; VI. 16. 17, quas de Gruber et Baiter incertas reiecerunt, Wesenbergius post Idus Maias 710 datas esse suspicatur. VII. 19. V. Kal. Sext.; 20 Kal. Sext.; 21 mense Maio aut Iunio 710; 22 incerto anno; 30. ineunte mense Ian. 31 ineunte mense Febr. 710 datae.

Rectius de hac re iudicabimus, si cognoverimus quid praeterea sit, quo libri X, XI, XII. a reliquis differant:

Hi fere sine exceptione continent non solum eas epistulas, quas Cicero dedit, sed etiam eas, quas missas accepit; in reliquis fere non sunt epistulae, nisi Ciceronis.[1] Unus est liber VIII, in quo leguntur epistulae a Caelio datae, verum etiam hic tribus libris illis dispar, quum non sicut in illis epistulae, quas Cicero dedit cum eis quas accepit, locum alternent et quasi permixtae sint. Denique, quum nulla sit in hoc corpore epistula, quae ante annum 692 data sit, ipsius autem huius anni non plus quatuor (V. 1, 2, 6, 7) anni 693 una (V. 5) anni 694 nulla, anni 695 duae (cf. Gruber l. c. pag. 4), quo magis progredimur eo frequentiores epistulae existunt, ita ut earum, quae annis 710 et 711 datae in libris X, XI, XII. sunt, fere nullae desiderentur.

Quibus rebus cognitis non verendum est, ne ea quam propositiuri sumus explicatione ita multum a vero aberremus. Fingimus enim hanc editoris rationem fuisse, ut eas epistulas, quas ante ineuntem annum 710 collegerat, tunc in volumina redigeret, neque vero priore hoc corpore composito, cuius sunt libri I—IX, XIV, XV, XVI, remitteret colligendi studium, verum rem ita institueret, ut quascunque epistulas Cicero inde sive daret, sive missas acciperet, quo ordine sese exciperent componeret. Hanc originem fuisse suspicor librorum X, XI, XII. Tum vero duo haec volumina prorsus dissimilia, (quum alterum hoc eas epistulas contineret, quae tunc collectae sunt, quum Cicero ipse eas et scripsit et accepit, alterum eas, quae sero querendo rarae repertae sunt), ita edita sunt, ut utriusque forma servata ne vestigia quidem diversae originis delerentur.

Qua sententia, quantopere rei satisfaciamus, quum facile unus quisque intelligat, tamen non prius exponetur, quam ea, quae modo ex compositione huius corporis collegimus, aliis argumentis comprobaverimus.

Consulto fecimus, quod librum XIII. a conspectu reliquorum librorum seclusimus, quia qui in eum nullas epistulas recepit, nisi eiusdem argumenti, hoc suum corpus atque a ceteris alienum esse voluit; neque vero ob solam hanc causam, sed magis etiam, quia in loco quodam tractando, quem ad librum XIII. referimus, ampliorem facultatem nobis datum iri arbitrabamur de conditione huius libri dicendi. Hic autem est ille locus epistularum ad Att.: (XVI. 5, 4).

---

[1]) Excipias IV. 5, 11, 12; V. 1, 3, 9, 10[a], 14; VI. 7, 9, 16; IX. 9; XV. 19.

Mearum epistularum nulla est συναγωγὴ, sed habet Tiro instar[1] *septuaginta, et quidem sunt a te quaedam sumendae. Eas ego oportet perspiciam, corrigam: tum denique edentur.*

Iam si quaecunque in his verbis sunt cum libro XIII. conferimus, aptissima esse ad hunc librum apparet:

I. Quod Cicero negat suarum epistularum esse *συναγωγὴν*, hoc nescio an iure referatur ad librum XIII, siquidem antiqui vocabulo illo corpus quoddam via ac ratione compositum significare solebant;[2] nam qui has epistulas commendatitias collegit neque ad tempus, quo datae sunt neque ad a l i u d argumentum respexit, praeter quam ut eas, quae ad eundem sunt, componeret.

II. Quod dixit Tironem habere circa septuaginta epistulas convenit fere cum numero epistularum libri XIII, quae sunt undeoctoginta.

III. Scripsit Cicero haec verba a. d. VII. Idus Quinctiles 710, neque ulla est epistula libri XIII, quae post hunc terminum data sit; nam epistula 50, quod ad tempus attinet omnium ultima, mense Ianuario eiusdem anni data est.[3] Neque vero est, cur non etiam eae epistulae commendatitiae in hoc volumen receptae sint, quas Cicero inde a mense Quinctili huius anni usque ad discessum suum scripsit, nisi ponimus medio anno 710 hoc volumen si non editum, tamen perfectum atque absolutum esse. Dedisse autem Ciceronem etiam post hunc terminum epistulas commendatitias ne quis neget, respiciat epistulas ad fam. XI. 17, mense Maio,[3] XI. 22 circa Non. Iunias[3] 711, XII. 26 et 27 incertis mensibus 710, XII. 29 mense Aprili 711 datas, quibus adnumerare non dubito epistulas ad M. Brutum I. 1—7, 8 etiam has anno 711 datas.

IV. Ne miremur epistulas commendatitias ad Atticum datas in hoc libro non reperiri, quamquam Cicero, si nostram sententiam sequimur, se eas recepturum esse promisit, sumamus necesse est sive Ciceronem

---

[1]) In Med. est: initar — Equidem — sumenda. Eodem modo Varro. R. r. I. 10. verbo instar (= circa) usus est: In quae volumina de Graecis libris non pauca, et de Magonis dempsit instar librorum octo.

[2]) cf. Dionys. A. R. II. 27. *συναγ. τῶν νόμων.* Plut. Mor. pag. 1131. F. *συναγ. τῶν ἐν μουσικῇ.* Phlegontis Tralli, *ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγ.* (Müller frg. hist. Gr. III. pag. 602.) Aristot. *συναγ. τεχνῶν.*

[3]) Nihil ad rem, quod in cod. Med. (cf. ed. Baiter. vol. IX. pag. LIV.) post epistulam 77 duae traduntur, quae sunt mensis Aprilis 711 et incerti mensis 710, nam quum iam in libro XII. (epp. 29 et 21) legantur, inde eas repetitas esse apparet; Ceterum religiose provisum est, ne qua epistula, quae est in libro XIII, eodem exemplo in alio quodam libro legeretur.

respexisse ad aliorum epistulas, quae Atticus possidebat, sive hunc Ciceroni illas petenti non obtemperasse, quum ipse bibliopolae munere fungeretur, neque suam collectionem epistularum Tullianarum ad se datarum quam editurus esset, in gratiam sive Tironis sive Ciceronis imminuisse. Immo qui lucri faciendi nullam occasionem praetermittere solebat etiam aliorum epistulas in volumina recepit, quarum exempla a Cicerone missa acceperat. (cf. ad Att. VIII. 11. A, B, C, D; IX. 6. A; 7. A, B, C; 11. A; XIV. 13. A, B; 17. A).

Commode autem accidit, quod revera extremo libro XVI. epistularum ad Atticum tres epistulae huius argumenti ad Plancum (A, B), duae ad Capitonem (C, F), una ad C. Cupiennum (D) datae leguntur, quarum tres (A, C, D), vel etiam quinque (neque enim de tempore epistularum E. F. satis constat) ante haec verba scripta datae sunt, ita ut possint ad has epistulas referri. Praeterea monendum est etiam in hoc corpore epistulas commendatitias contra eam regulam, quae in reliquis epistulis colligendis valuit, dispositas esse, quum in extremo corpore locum teneant, quem secundum temporis rationem non debent tenere;[1] quae quidem res, quum testimonio sit fuisse quodammodo ex more Romanorum ut epistulas commendatitias suum genus epistularum esse vellent, nostram sententiam de hoc loco non paulum adiuvare videtur.

Quum vero tantus verborum et rei consensus sit, facere non possumus, quin hunc locum ad librum XIII. referamus; atque haec sententia per se tantopere commendatur, quantopere ceterorum hominum doctorum me iudice probabilitate caret. Qui quidem, quum haec verba ad primordia epistularum ad fam. referant, considerasse non videntur ipsum Ciceronem omnes has epistulas edere nequisse, quum eum certe non fugeret quot quantaeque obtrectationes, iustae atque iniustae inimicitiae sibi inde profecturae essent.

Verum etiamsi eum voluisse ponimus, num putabimus eum septuaginta fere epistulis compositis tamquam absoluto colligendi studio has paucas edendas curasse. Ita enim verba facit, quasi praeter eas epistulas,

---

[1]) Quum epistulae eo ordine sese excipiant, quo Attico traditae sunt, rarius fit, ut temporum ratio vehementius violetur. Itaque, ut exemplo utar, liber XVI. nullas epistulas continet, nisi quae sunt mensium Quinct. et Sextil. Novemb. Decembr. anni 711, et epistulae, quae extremae sunt, ita se excipiunt: 6, 7, 8, 9, 11, 12, 10, 13a, 14, 15. Contra hanc rationem decimo sexto loco hae epistulae commendatitiae leguntur, quae, si ad tempus respicimus, in libro XV. sive initio libri XVI. debebant esse.

quae ab Attico sumendae sint, alias non requirat. Ac profectoneque satis habuisset, opinor, septuaginta epistulas collegisse, neque has edere instituisset, quum facili opera posset sexcentas congerere, nisi haec certo cuidam consilio quodam modo satisfacerent. Iam vero num quod volumen potest cogitari in quod utrumque hoc eodem modo cadat, quo in librum XIII, ut contineat et epistulas, quae Cicerone vivo sine scrupulo potuerunt divulgari, et quas par erat tam angustis finibus circumscribi?

Si vero recte cognovimus librum XIII. epistularum ad fam. a Tirone collectum et in ordinem redactum esse, quantum auxilii attulerimus quum toti huic de prima epistularum conditione quaestioni tum ei sententiae, quam mera ratiocinatione inventam antea posuimus, facile est intellectu.

Ante omnia Tironem etiam reliquos libros epistularum ad fam. atque, quoniam unum omnium epistularum editorem fuisse antea comprobavimus, omnes epistulas Tullianas, quae unquam editae essent, collegisse, in volumina retulisse, edidisse eo ostenditur, quod epistulae, quae iam in libro XIII. leguntur, prorsus seiunctae sunt a numero reliquarum epistularum, neque alter quidam tam religiose praevidisse putandus est, ne qua epistula in sua editione sit, quae iam in priore quadam fuerit. Nunc vero quamquam libro IV. 1—4, 6, 12 epistulae ad Sulpicium annis 705, 708, 709 datae atque libro XIII. (17—28ᵃ) undecim epistulae commendatitiae leguntur ad eundem et eodem omnes anno 708 datae, tamen nulla earum binis exemplis tradita est. Neque aliter epistula II. 18, quum eiusdem anni 703 sit, atque tres epistulae commendatitiae ad eundem Minutium Thermum datae (XIII. 53, 55, 56), tamen inter has non est. Quod vero in codice Mediceo extremo fere libro XIII. eaedem duae epistulae reperiuntur, quae sunt in libro XII. vicesima prima et undetricesima, hinc postea demum transscriptae esse iam alia de causa visae sunt.

Praeterea librum XIII. id cum libris I—IX, XIV, XV, XVI commune habere apparet, quod nullam epistulam continet, quae post medium annum 710 data sit; id quod etiam mirum quantum ad sententiam aptum est, qua hunc terminum fuisse posuimus, ante quem prior pars collectionis composita atque confecta, et post quem altera coepta sit institui.

Tum etiam Tironem non ita multo ante hunc terminum consilium epistularum colligendarum cepisse atque aggressum esse e paucitate earum epistularum effici cogique potest, quae sunt priorum annorum. Nam si conferimus, quo tempore Ioh. de Gruber, Baiter-Kayser, Wesenbergius

singulas huius libri epistulas datas esse volunt, hunc in modum videntur dispertitae esse:

ann. 695.	(de Gr.) 1.	(B.-K.) 1.	(W.) 2.	ann. 703.	(de Gr.) 8.	(B.-K.) 8.	(W.) 9.
698.	1.	1.	1.	704.	5.	5.	5.
699.	1.	1.	6.	708.	27.	29.	37.
700.	—	1.	1.	709.	7.	7.	7.
701.	—	1.	1.	710.	1.	1.	1.
702.	1.	—	--	?	27.	19.	9.

Itaque dimidio plus earum epistularum, de quarum tempore aliquo modo inter homines doctos constat, datae sunt annis 708 et 709, minorem partem eae efficiunt, quae e tredecim annis congestae sunt. Atque quum eadem fere reliquarum epistularum ad fam. conditio sit, quarum nullam ultra annum 692 recedere, annorum, qui huic proximi sunt, perpaucas esse vidimus, sed eo plures quo magis tempore progrediamur, tamen hoc idcirco premere nolumus, quia fortasse quispiam temporum ingratiae tribuere possit, quod epistulae priorum annorum quamquam aliquando non minus frequentes fuerint, nunc desiderentur. Atque hercle hoc auxilium eo libentius dimittimus, quo maiorem vim ad hanc rem illustrandam testimonio ipsius Tulli tribuimus, quod recte me huc referre quam maxime volo. Etenim quum epistula septima decima libri XVI. ad Tironem data initium capiat a verbis: *video, quid agas: tuas quoque epistulas vis referri in volumina. Sed heus tu, qui κανὼν esse meorum scriptorum soles, unde illud tam ἄκυρον, „valetudini fideliter inserviendo"?* ... Paulus Manutius hoc significare vult: Tironis epistulas tam diligenter scriptas esse, ut cupere videatur eas quoque in volumina referri, Bruno Nake (hist. crit. pag. 29) supplendum censet: ut meas epistulas in volumina referri me scis velle,[1] neque vero addit, quamnam causam horum verborum fuisse credat. Sed vereor, ne ea, quam Manutius suspicatur fuisse, vera non sit. Obscurior enim, languidor, ne dicam arrogantior iste iocus esset, quam ut Ciceroni tribui posset. Neque enim, ut dicam quod sentio, haec verba intellegi potuerunt, nisi respicerent ad Tironis quandam epistulam, in qua iam de epistulis in volumina referendis sermo fuerit. Fingamus autem, nisi fallor, necesse est Tironem quaesivisse e Cicerone, num in collectionem suarum epistularum instituendam eas tan-

[1]) F. Mezger (Ciceros Briefe übers. Stuttg. 1859. I. 37) inde concludit tunc temporis Ciceronis epistulas iam in volumina redactas fuisse. — Leighton pag. 39 not. 22 quaedam annotat, quae ego non intelligam.

tum recipi vellet, quas ipse ad alios dedisset, vel etiam eas, quas ab illis missas accepisset. Ita statuentibus nobis dubium esse non potest, quid sibi velint haec verba, quippe quibus Tullius illudat Tironem, tamquam id potissimum agat, ut suae quoque epistulae recipiantur. Simul approbatio illius consilii vel quaestionis et in ipsis verbis latet, et conspectu eius collectionis partis, quae ad nostram aetatem pervenit, Ciceronem assensum esse docemur, quum etiam Coeli, D. Bruti, Cassi, M. Bruti aliorum epistulae magno numero servatae sint. Quod vero inter has ipsius Tironis epistulae non sunt,[1] non mirabitur, qui memoria tenet, id quod Gellius testatur (X. 1. 7), pervulgatas fuisse eius epistulas, verum, ut nos ex coniectura ponimus, separato quodam corpore instar epistularum Tullianarum. Utut hoc est, hoc loco satis habemus cognovisse, illo tempore, quo haec epistula data est, Ciceronem et Tironem inter se de epistulis colligendis atque in volumina redigendis consilia communicasse. Quo autem anno data est haec epistula? negant Ioh. de Gruber, Baiter-Kayser certum annum indagari posse, sed Wesenbergius et Nakeus annum 708, Drumannus[2] annum sive 708, sive 709 pro certo habent. Atque est, quod alteram hanc sententiam commendet. Agitur enim in hac epistula de aegritudine Tironis (§ 2 *valetudo tua me valde sollicitat* e. q. s.); quamquam vero eum nunquam firma valetudine fuisse constat, tamen non vehementius aegrotasse videtur nisi annis 700 (ad fam. XVI. 10, 14, 15) et 704 (ad Att. VI. 7) et eo anno, cuius praeter epistulam quam tractamus etiam XVI. 18, 19, 20, 22 sunt. Nullum autem annum relictum esse, nisi 708 sive 709, in quem hunc morbum incidisse credamus, non dixerim, quum liceat etiam de ineunte anno 710 cogitare.

Quacum ratiocinatione si componimus id quod antea demonstrare conati sumus absolvisse Tironem prius epistularum corpus medio anno 710, alteram rationem altera iuvari censeo. Nam ab eo die, quo epistularum colligendarum consilium cepit, usque ad eum, quo potuit satis magnum corpus componere, sine dubio aliquot menses intercesserunt. Utrum vero anno 709 an ineunte anno 710 hoc studium eum suscepisse credamus, nihil ad rem, quum et hac et illa ratione optime intelligatur, unde factum sit, ut epistulae annorum 709 et 708 rarae non sint, priorum annorum sint rarissimae. Nam quum Tiro tunc fere epistulas Tulli ab eis repeteret, ad quos datae erant, vel ab eorum heredibus,

[1]) De Tironis epistulis Tullius loquitur ad fam. XVI. 4. 1; 14. 1; 26. 1; 18. 1.

[2]) Gesch. Rom's IV. 407, 472.

facillime eas nactus esse putandus est, quae proximo tempore missae atque acceptae erant, quo vero remotiorum temporum essent eo pauciores, quum reliquae sive casu quodam perissent sive consulto deletae essent. Genus enim epistularum saepe eius modi erat, ut non liberet eas servari, et saepe factum esse, ut epistula, in qua iratior disputatio vel de Pompeio, vel de Caesare, vel de conditione rei publicae esset, simul atque accepta et lecta est, conscinderetur satis multis testimoniis comprobatur.[1] Eodem modo etiam Cicero epistulas, quas antea acceperat, paucis ut Caeli exceptis sive delevisse sive amisisse videtur. Quum vero Tiro epistulas eodem ordine quo sibi traderentur et quo eas in Ciceronis scriniis reperiret in volumina reciperet, evasit corpus non ita bene comparatum, cuius sunt libri I–IX, XIV, XV, XVI.

Ut iam alterum hoc recte nos suspicatos esse probaremus, esse epistulas annorum 710 et 711 eodem tempore atque ordine a Tirone collectas, quo a Cicerone et datae et acceptae essent, debebamus de integritate epistularum, quae sunt librorum X, XI, XII. (ad M. Brutum I, II.), et de earum tempore ac serie accuratius agere, quod munus hoc loco rite absolvere non possumus, quum fines huiuscemodi commentationis longe excedat. Verum licet Nakei luculentissimas quaestiones, quas de Planci et D. Bruti epistulis instituit, in usum convertere. Quem si audimus epistularum ad Plancum hic est ordo chronologicus: lib. X. 1. 2. 3 5. **6. 10. 12. 14.** 13. 19. **20.** 16. 22. epistularum a Planco datarum hic: lib. X. 4. 8. 7. 9. 11. 15 (21?) 17. 18. 21. **23. 24.**, una epistula desideratur (cf. 22. 2), porro epistularum ad D. Brutum datarum hic ordo: 4. **9. 10. 11. 19. 20. 23. 26.** 13, epistularum ipsius Bruti hic: 16. 17. 5. 6. 7. 8. 22. 12. **18.** 14. **21. 24. 25.** 15.[2] Schmidtius autem epistulas XII. 1—12 rectissime ita se excipere demonstravit, ut, quas Cicero dederit, hoc ordine procedant: 1. 2. 3. 4. 5. 7. 6. 8. 9. 10, sequantur

---

[1]) ad fam. VII. 18, 4. Epistulam tuam . . conscidi innocentem; nihil enim habebat, quod no nvel in contione recte legi posset; sed et Anuntius ita te nuntiasse aiebat et tu ascripseras. Nonius pag. 509, 20: ad Axium II: invitus litteras tuas scinderem; ita sunt humaniter scriptae. cf. etiam ad fam. VII. 25, ad Att. XIII. 6. 3; IX. 10. 4. et quae Otto Hirschfeld (Hermes V. 296) adnotat ad epistulam ad fam. V. 20, atque imprimis C. Fr. Hermann l. c. II. 7—8.

[2]) cf. Nake pag. 699: Die im Codex datirten Briefe mussten nach ihrer Abfassungszeit in folgender Ordnung stehen: 9. 10. 11. 18. 19. 20. 23. 26. 21. 24. 25. Sehen wir aber die Reihenfolge an, in der Cicero dieselben Briefe schrieb und empfing, so finden wir folgende Ordnung: 9. 10. 11. 18. 19. 20. 21. 23. **24.** 25. 26,

Cassi 11. 12.[1] Quamquam igitur inter Bruti epistulas nonnullae praeter exspectationem collocatae esse videntur, tamen tenendum est eas epistulas, quarum tempus traditum est, ei rationi satisfacere, quam proposuimus, reliquarum autem tempus a Nakeo coniectura sane ingeniosa constitutum esse, quae tamen non nunquam nimis levibus argumentis nititur. Quin epistulis XI. 13. 16. 17. 22, quibus ordinem violentius turbatum esse censet, sive in tempore definiendo errasse, sive ordinis rationem non perspexisse alio loco explicare conabimur. Quod vero ad integrum numerum harum epistularum attinet, Nakeus ipse concedit praeter quatuor quinqueve nullam scriptam esse videri, quae non ad nostram aetatem pervenerit (cf. pag. 698), atque vel meliorem conditionem esse epistularum XII. 1—12 iam supra commemoravimus. Itaque non dubito statuere epistulas librorum X, XI, XII. (ad M. Brutum I, II) eodem fere numero atque eodem ordine a Tirone in volumina receptas esse, quo Cicero eas et dedit et accepit.

Si vero, quaecunque adhuc observavimus mente comprehendimus, hanc fere primam conditionem epistularum fuisse dicemus. Anno cr. 709 Ciceronem et Tironem consilium cepisse epistularum edendarum et de hoc opere instituendo inter se communicasse, convenisse inter eos, ut reciperentur non solum eae epistulae, quas Tullius dedisset, sed etiam quas missas accepisset, tum Tironem undique epistulas congessisse, sed eo pauciores potuisse reperire, quo longinquius earum tempus aberat, quum multae priorum annorum iam prius amissae essent, quam eas quaerere coepisset, et ne in Ciceronis quidem scriniis ita multae epistulae ab aliis datae praesto essent. Tamen eum medio anno 710 satis magnam copiam congestam habuisse atque eo consilio in volumina distribuisse, ut Cicerone mortuo divulgarentur. Continuisse autem hoc primum corpus quum multas epistulas singularias, tum epistularum ad fam. libros I—IX, XIV—XVI, atque etiam librum XIII. nihil nisi epistulas commendatitias complectentem, quas ante e tota epistularum copia elegisset. Tum Atticum a nescio quo de Ciceronis

die also genau die des Codex ist. . . . Man könnte sich versucht fühlen, aus dieser Thatsache Schlüsse auf die Art der Herausgabe dieser Briefe zu ziehen und anzunehmen, sie hätten bei Cicero genau in der Reihenfolge gelegen, wie er sie geschrieben und erhalten hätte etc. etc.

[1]) De ordine epistularum ad M. Brutum ex codicis archetypi folio in alienum locum delato valde turbato conferas C. Fr. Hermann Abhandl. der Göttinger Gesellschaft der Wissenschaften 1847 pag. 167—169 et Schmidt l. c.

instituto certiorum factum, inscium tamen quae futura esset forma huius collectionis sic de ea locutum esse, vel ut verbo συναγωγή uteretur, vel ut eam conferret cum alio quodam epistularum corpore, quod hoc vocabulo significari solitum esset. Ad quae Ciceronem respondisse ea epistula, quam a. d. VII. Id. Quinct. 710 dedit, quinta libri XVI: suarum epistularum (pronomine possesivo vi quadam primo loco posito) nullam esse συναγωγήν, sed Tironem habere circa septuaginta, quas paucis ab Attico sumendis auctas perspecturus, correcturus, editurus esset; respicere vero eum ad epistulas commendatitias, quae nunc librum XIII. epistularum ad fam. efficiunt, consulto autem reticere reliquos libros, quippe quos tunc nondum pervulgaturus esset. Denique Tironem eas epistulas, quas Cicero inde ab medio anno 710 et daret et acciperet eodem ordine in sua volumina recepisse, esse autem huius alterius collectionis libros X, XI, XII, ad M. Brutum I. II.

Utrum vero Cicero eo, quod se facturum esse promisit, perfecto librum ad fam. XIII, primum atque absolutum volumen, ipse ediderit, an consilio mutato Tironi simul cum reliquis edendum tradiderit, haec quaestio cohaeret cum altera de pristino numero atque ordine librorum huius corporis iam instituenda.

Ante vero pauca repetenda atque expedienda sunt, quae ad hanc sententiam quam exposuimus non videntur apta esse. Etenim epistulam IX. 24 ad Paetum exeunte mense Februario 711 datam extra communes prioris illius corporis fines excedere antea monuimus, neque vero, cur id factum esset explicavimus, quum facile intellectum iri arbitrabamur, simul de summa rei iudicium constaret. Videtur autem mihi haec epistula postea demum a Tirone cum duabus proximis addita esse; nam epistulae ad Paetum datae quum extremum huius libri locum tenerent servato epistularum ordine potuerunt eis augeri, quae post ea sive dabantur sive inveniebantur. Atque hoc revera factum esse e temporum ratione apparere arbitror, quum novem epistulas ad eundem anno 708 sive omnes sive earum certe septem (de duarum 21, 22 tempore non satis constat) datas sequantur haec mense Febr. 711, vicesima quinta Febr. 704, vicesima sexta Octobr. 708 missae.

Vel minus offensionis alterum hoc me iudice praebet, quod inter nonaginta tres epistulas librorum X, XI, XII. tres leguntur, quae ante mensem Maium anni 710 datae sunt (17—19). Omnia enim bene se habent, si ponimus Tironem has tres epistulas repperisse priore corpore

absoluto et ob eam rem cum reliquis decem epistulis ad eundem Cornificium datis copulasse.

His absolutis aggredimur eam quaestionem, quam indicavimus.

Titulum *ad familiares*, quo nos has epistulas vocare consuevimus, recentioris aetatis esse satis constat,[1] neque enim in codice Mediceo neque in Turonensi aut nomen omnibus XVI. libris commune aut numeri libris inscripti traduntur, unde colligere possimus hoc corpus eisdem finibus antiquitus circumscriptum et librorum seriem semper eandem fuisse. Verum si ab eis indicibus, quae in utroque codice plerisque libris subscriptae sunt, ea praecidimus, quae monachorum operam prae se ferunt, idem librorum index relinquitur, quo antiquos grammaticos usos esse constat. Nam quum sub libro primo legatur: ***Marci Tulli Ciceronis epistularum ad Publ. Lentulum explicit, incipit eiusdem ad consulem Curionem feliciter*** hunc librum *ad Lentulum* secundum *ad Curionem*, reliquos deinceps secundum eius nomen notatos esse apparet, unde liber initium cepit. Quid, quod in ipso Mediceo antiqui hi indices librorum XI, XII, XIII, XV, XVI recte traduntur?[2]

Ne hoc quidem prorsus verum est praestantissimos codices numero ac serie librorum inter se congruere, quum Turonensis libros I—VIII, Harleianus secundus libros I—VIII,[3] Harleianus primus libros IX—XVI, contineant. In Mediceo vero, quamquam libros eo ordine tradit, quo nunc vulgo leguntur, tamen libro IX. inscriptum est *lib. I*,[4] quum reliqui libri sine numero sint, ita ut appareat in archetypo Medicei eodem modo libros bipartitos fuisse, ut altera pars libros I — VIII, altera libros IX — XVI. complecteretur, incertum autem sit, utram priorem fuisse credamus. Iam vero siquidem Ch. Thurot et Fr. Ruehl recte statuunt neque Turonensem neque Harleianum aut primum aut secundum pendere a Mediceo, sed exemplaria esse ex archetypo Medicei ducta, ita ut omnes libri manuscripti, quibus epistulae ad fam. memoriae traditae sunt, quasi ab uno parente originem trahant, e tradito ordine librorum in omnibus codicibus quodammodo consentiente nihil colligi posse apparet, nisi hunc librorum ordinem in uno hoc archetypo fuisse.

---

[1]) Hofmann. l. c. pag. VII, Leighton l. c. pag. 15.

[2]) cf. ed. Baiteri vol. IX. adn. crit.: ad Dec. Brutum, ad C. Cassium, ad Memmium, ad senatum, ad Tullium Tironem.

[3]) usque ad VIII. 9. 3 „Puto enim si ullam spem. Explicit."

[4]) cf. ed. I. G. Baiteri vol. IX. pag. XXXVIII.

Verum tamen est, quod hanc librorum partitionem commendet. Nam quum Leighton libros I—XII. per se suum volumen efficere velit certo hoc consilio compositum, ut primo loco cognoscatur quid rationis Cicero habuerit cum compluribus, qui ei litterarum commercio coniuncti erant, secundo res gestae servato cuiusque anni ordine enarrentur, ipse concedit (pag. 27 sq.) esse praeter regulam factum, quod liber octavus hunc locum tenet, quum rectius secundo libro proximus futurus fuerit. Hunc scrupulum nos vitare censeo, si eam librorum partitionem accipimus quam traditam esse vidimus. Itaque si hoc volumen a libro primo usque ad ineuntem nonum pertinuit, bene factum est, quod liber octavus, quum non ipsius Ciceronis sed Caeli epistulas contineret, in fine huius voluminis positus est, reliqui libri eo ordine se excipiunt, qui temporum rationi satisfacit.

Nam si quibus annis plurimae unius cuiusque libri epistulae datae sint componimus:

lib.	I.	epp.	annorum	698—700	continet,
„	II.	„	„	701—705	
„	III.	„	„	703 - 704	
„	IV.	„	„	705—709	
„	V.	„	„	692—709	
„	VI.	„	„	708—709	
„	VII.	„	„	699—708 (710)	
„	VIII.	„	„	703—705.	

Neque igitur est, quantum video, cur diffidamus hoc volumen eadem forma a Tirone esse profectum.

Sed multo difficilius atque incertius iudicium est de altero volumine, non solum quia continet librum XIII. prorsus alienum a reliquis, sed etiam quia remoto hoc libro nihilo minus ordo librorum perspicua ratione caret. Nam si tempus epistularum respicimus, libris XIV, XV, XVI. locus debebat esse post libros X, XI, XII, si ad diversam librorum originem debebant libri X, XI, XII. a reliquis seiuncti esse. Si vero sumimus librum XIII. epistulas commendatitias, libros XIV. et XVI. epistulas ad Terentiam et ad Tironem continentes seriem conclusisse, ne hae epistulae, quas iure *familiares* vocamus,[1] confunderentur cum reliquis, quae magis ad rem publicam spectant, quid libro XV. faciamus? Si qui forte

[1]) Etiam in collectione epistularum Iuli Caesaris „epistulae ad familiares domesticis de rebus“ a reliquis segregatas fuisse sequitur e Sueton. Caes. 56.

sunt, qui censeant libros IX—XII. bene sese excipientes secutum esse librum XIII. epistulas commendatitias, tum librum XIV. „familiares“ epistulas continentem, porro librum XV. quasi supplementum priorum, denique Tironis librum propter verecundiam illum extremo loco collocatum, aut illud supplementum post reliquos libros editum esse dicere debent, vel, quod idem est, huic volumini non eandem formam ab initio fuisse, aut Tironem inepte egisse. An non ineptum est librum a similibus, qui antea compositi sunt, segregare, quamquam eodem tempore atque eodem volumine eduntur, ita ut vestigia diversae originis facillime deleri possint? Omitto, quod iam ob eam rem totam hanc sententiam improbamus, quia librum XV. supplementum esse negamus. Efficitur eis, quae adhuc disputavimus, ut hoc volumen quum sine ratione compositum sit, hac forma a Tirone non possit profectum esse. Itaque, nisi miro quodam casu libros locum commutasse sumpserimus, alterutrum accidisse putabimus: aut conflatum esse hoc volumen e variis corpusculis, aut continere reliquias maioris corporis, quo dissoluto alii libri perierint, alii perturbato ordine hunc in modum sese quasi coniunxerint, ut etiam libro, qui nunc est tertius decimus, etsi alieno a reliquis, locum concederent. Quarum sententiarum altera illa displicet; nam librum XV. volumen per se effecisse vix quisquam dicet, alteram vero eo commendari censeo, quod nonnullae epistulae ab antiquis scriptoribus afferuntur, quarum neque singula volumina fuisse ponimus, neque vero eis inter sedecim hos libros locus est, quos eis epistulis refertos esse volumus, quae singulae pauciores erant, quam ut suum volumen efficerent. Itaque excidisse quosdam libros, qui quum alias epistulas, tum eas continerent, quae ad Hostilium[1] (Charis. I. pag. 110. 2 Keil), ad Marcellum[2] (ibid. pag. 108, 26) ad Pelopem (Plut. v. Cic. 24) ad Titinium (Sueton. de rhet. 2) datae erant, facile crediderim.

Quoniam igitur ordo librorum IX—XVI. fortuitus est, et siquidem recte locum illum (ad Attic. XVI. 5. 4) referimus ad librum XIII, non est, quantum video, cur Ciceronem ipsum hunc librum edidisse negemus.

Reliquos autem libros ad exemplum prioris voluminis ita compositos fuisse colligimus, ut temporis rationem secuti primum locum tenerent, quorum epistulae ante medium annum 710 datae vel, quod idem est prioris collectionis essent, secundum ei, quos alterius collectionis esse diximus h. e. libros X, XI, XII, tertium fortasse libri ad Terentiam et

[1]) [2]) cf. Nake hist. crit. pag. 10, 11. not. 22, 23.

ad Tironem aliaeque epistulae *familiares*, si quae erant. Nolumus vero hac in re quidquam affirmare, quum ita comparata sit, ut quod certum sit omnino evinci non possit.

Haec habeo, quae de compositione totius huius corporis dicam. Vidimus hac occasione epistularum perturbationem nequaquam tantam esse, quanta Nakeo, Teuffelio, Leightoni, aliis[1] visa est. Nam quum hi octies in disponendis epistulis contra principalem regulam, quam sibi instituisset vel Tiro vel quemcunque editorem fuisse opinantur, peccatum esse dicerent, id plerumque non sine gravi causa factum, bis a necessitate quadam, semel a facili errore profectum esse apparuit. Sed praeter illam regulam migrare etiam eas epistulas Nakeus monet (pag. 6 sq.), quarum altera pars, si diversis locis reperiuntur, ab illo scripta sit, cui missa sit prior, missa rursus illi, qui priorem partem ipse scripserit. Cadunt in hoc genus praeter mutuas Caelii et Ciceronis epistulas, de quibus iam satis actum est, hae:

{ Cicero Aemilio Lepido	misit	X. 27.
{ Aemilius Lepidus Ciceroni	„	X. 34 et 35.
{ Cicero Trebonio	„	X. 28, XV. 20. 21.
{ Trebonius Ciceroni	„	XII. 16.

Atque Lepidi quidem epistulae tantum absunt, ut nobis negotia facessant, ut mirum quantum eam rationem illustrent, qua Tironem epistulas librorum X—XII. collegisse statuimus. Sunt enim epistulae 34 et 35 extremae libri decimi, neque consulto ab epistula X. 27 seiunctae, sed composito atque absoluto huic libro Tiro duas has epistulas, quum sero in eius manus pervenissent agglutinavit, ne seriem epistularum semel constitutam dissolveret.

Epistula X. 28 autem, cur seiuncta sit ab eis, quae ad eundem Trebonium datae libro XV. leguntur, supra vidimus, atque eadem causa est, cur epistula XII. 16 non in illo libro legatur: quae quidem Athenis VIII. Kal. Iun. 710 data non ante Non. Quinct. Romam pervenit, qua re in alteram collectionem recepta est, quum epistulae XV. 22 mense Maio a Cicerone datae locus in priore collectione concederetur. Qua re

[1]) P. Manutius comm. ad epp. ad fam.: Feramus illud atque etiam probemus, quod eas epistulas, quae ad unum scriptae sunt, puta ad Lentulum, Caelium, Appium, aliosve simul omnes voluerit coniungere, et rationem habere personarum potius, quam temporum. . . . Sed peccasse eum in iis ipsis, quas eisdem inscriptas aggregabat, nec vidisse ordinem, quem vel adscripta cuique dies, vel argumentum ostendebat, magnopere miror.

accuratius cognoscimus terminum, quo Tiro librum XV. absolverit, librum XII. componere instituerit. Neque vero eandem causam esse, cur etiam epistulae X. 28 et XII. 16 loco disiunctae sint, satis apparet, quum librorum X, XI, XII. prorsus eandem conditionem fuisse nobis sit exploratum. Atque omnino huius rei si non iustam causam at certam rationem possumus proponere, qua explicetur, vel excusetur. Etenim si libros X, XI, XII. componimus, hoc discrimen inter eos intercedere licet cognoscere, quod duo priores Ciceronis eorumque mutuas epistulas continent, qui tunc et in utraque Gallia et in Hispania, liber XII. epistulas eorum et ad eos datas, qui sive in Graecia, sive in Asia, sive in Africa versabantur. Verum exponetur hoc accuratius non tam unius huius epistulae gratia, quum ut demonstremus iniuste facere eos, qui non desinant Tironi summam in epistulis disponendis negligentiam crimini dare.

Itaque ut epistulas trium horum librorum deinceps persequamur, datae sunt:

X. 1—24 a Planco et ad Plancum Galliam transalpinam administrantem.
25 et 26 ad Furnium, Planci legatum (cf. X. 8. 5) ibidem versantem.
27 ad Lepidum, qui tunc Galliae Narbonensi praeerat.
[28 ad Trebonium consulari imperio provinciam Asiam obtinentem (cf. Phil. I.)].
29 ad Appium pr. Non. Quinct. 711, quo tempore eum in Gallia cisalpina fuisse epistula XI. 22 docemur.
30 a Galba ex castris ad Mutinam.
31 et 32 ab Asinio Pollione Cordubae.
33 ab eodem ex Hispania ulteriore.
34 et 35 a Lepido ex castris ad Pontem Argenteum (in Gallia Narbonensi).

Itaque quum Tiro optime rem ita instituerit, ut epistulis 1—30 enarrentur, quaecunque prope Mutinam et in utraque Gallia fiebant, epistulis 31—33 quae in provincia Hispania, praeter exspectationem extremo loco reperiuntur iterum epistulae e Gallia Narbonensi datae, ita ut etiam hac de causa eas postea demum a Tirone in fine affixas esse dicamus.

Magis etiam ordinem epistularum Treboni illa turbat, quum in Asiam missa inter eas reperiatur, quae sunt de rebus ad septemtriones gestis; Atque quum accedat, ut eadem haec epistula contra regulam

seiuncta sit ab altera ad eundem data, cui iure locus est in libro XII, nonne praeter Tironis consilium ex illo libro in hunc migrasse putanda est?

Eodem modo libro XI. praemissis et epistula a D. Bruto Roma[1] ad M. Brutum et Cassium prope Romam vagantes et duabus epistulis a D. Bruto et Cassio e Campania ad M. Antonium datis Samnium tunc percurrentem[2] sequuntur

XI. 4—26 epistulae a Cicerone ad D. Brutum ac versa vice datae res in Gallia cisalpina et in Gallia Narbonensi gestas enarrantes,

27 ad Matium, 28 a Matio, 29 ad Oppium,

qui utrum tunc Romae an alio loco fuerint cognitum non habeo.[3]

Utut hoc est, tamen vix erit, qui Tironem vituperet aut quod tres illas epistulas mutuis Ciceronis et Bruti epistulis praemiserit, aut quod has in fine adiunxerit, quum non sit ubi melius collocentur.

XII. 1—10 leguntur Ciceronis epistulae ad Cassium datae, primum in Italia (epp. 1—3) tum in Graecia atque in Syria versantem; sequuntur

11 et 12 a Cassio *ex castris Taricheis* et aliis *ex castris* Syriae provinciae datae,

13. L.[4] Cassi epistula Cypro a Crommyoacride data,

14 et 15 P. Lentuli *Perga* e Pamphylia datae,

16 Treboni Athenis data,

17—30 ad Cornificium inde ab anno 710 Africam provinciam obtinentem.[5]

Recte igitur etiam huius libri epistulae ita se excipiunt, ut primo loco nominum eorum ratio habita sit, quibus inscriptae, secundo regionum, unde vel quo missae sunt.

Quam rationem in eis tantum epistulis disponendis sequendam fuisse, quarum satis magna copia eorundem annorum esset, neque vero aptam ad eas epistulas, quae paucae per complures annos e variis re-

---

[1]) cf. Schmidt. l. c. pag. 13—16.

[2]) ibid. pag. 16 sq.

[3]) cf. ad Att. XV. 2. 3: Matius ac Portumius procuratores ludorum Octavii mihi non placent. (XV. Kal. Iun. 710.)

[4]) cf. Krauss. Cic. epp. emend. pag. 36 sqq.

[5]) Hoc dictum puta de epistulis 1—8. 10. 14. 20. 21. 22.

gionibus datae superessent, inde apparet, quod salva illa lege, qua aggregarentur, quae eisdem inscriptae sunt, perfici non potuit. Itaque Tiro mutatis conditionibus rationem mutavit, et quum in libros I, II, III, IV, VIII, XIV, XV, XVI. satis haberet epistulas eisdem inscriptas recipere, quibus cum Ciceroni eodem fere tempore epistularum commercium fuerat liber VI. modo legendus est, ut agnoscatur novum hoc accedere, quod in plerisque epistulis sive consolatio[1] sive gratulatio[2] quaedam sit. In reliquis autem duobus libris (V, VII) reperiuntur quae nulla certa ratione potuerunt disponi, quum essent varii generis ad varios[3] per complures annos datae. Nescio igitur num liceat duos hos libros quodammodo pro supplementis habere.

In universum autem Tironem difficillimam hanc rem bene perfecisse censeo, ut tantam et tam variam epistularum copiam in ordinem redigeret. Unum sane neglexit, quod dierum mensium nonnunquam etiam annorum rationem non habuit. Verum hac in re Atticum habet socium, qui quo ordine singulae epistulae ei traditae sunt eodem eas in volumina recepit,[4] neque ullam diligentiam adhibuit ad iustum ordinem restituendum. Quoniam vero hic inde ab anno 687 epistulas a Tullio sibi datas collegit, et utut casu se excipiebant describendas curavit, Tiro eandem rationem non ante annum 710 instituit, factum est, ut in libris X, XI, XII, ad M. Brutum I, II. epistulae eundem ordinem sequantur, quem omnes ‚ad Atticum', epistulae priorum annorum non item. Quas quidem Tiro, utcunque sibi traditae erant, sive in ordinem redactae (ut epistulae ad Quintum fratrem, ad fam. I. 1—9, II. 1—8; 9—16, VIII. 1—17[5]) sive prorsus neglecta temporum ratione, ita recepit in volumina.

Restat, ut quaeramus, quae causa fuerit, cur earum epistularum, quas Cicero extremis aetatis suae mensibus et dedit et missas accepit

---

[1]) Hoc dictum puta de epistulis 1—8. 10. 14. 20. 21. 22.

[2]) hoc de epistulis 11. 12. 15. Non ita dissimilis generis sunt epistulae 17, 18 (cf. § 1). Cur autem epistula 9 in quod neutrum cadat, recepta sit extremis verbis prioris epistulae explicatur: „Ego etsi coram de te cum Furnio ita loquar, ut tibi litteris meis ad eum non opus sit, tamen, quoniam tuis placuit te habere meas epistulas, quas ei redderes, morem eis gessi" earum epistularum exemplum infra scriptum est.

[3]) Sunt enim viginti una epistulae libri V. duodecim, triginta tres libri VII. septem nominibus inscriptae.

[4]) Tunstall epistula ad Middleton (Cantabr. 1741) pag. 13 sq.

[5]) Nakeus Caelii epistularum eum ordinem esse demonstravit, qui paucis exceptis vix vituperetur (Iahrbücher f. cl. Phil. Bd. 89. pag. 60—68).

nulla ad nostram aetatem pervenerit. Accidit fortasse, ut in summa animorum perturbatione, quum Cicero a triumviris proscriptus praecipiti fuga Romam relinqueret, epistulae, si quas tunc vel dedit vel missas accepit, neglectae iacerent atque amitterentur. Neque enim, opinor, Tiro tam tranquillo animo erat, ut de epistulis servandis atque colligendis cogitaret, quum vita patroni periclitabatur. Verum hoc non valet, nisi de epistulis Novembri vel ineunte Decembri datis, (quo mense Tullius trucidatus est), quum Octavium, Antonium, Lepidum sese coniunxisse non ante Novembrem Romae cognitum sit,[1] neque ante medium hunc mensem Cicero a Q. Pedio exagitatus inde fugerit.[2] Neque vero idem hoc potuit Tironem impedire, quominus epistulas priorum trium mensium Sextilis dico, Septembris, Octobris colligeret atque ederet. Consulto igitur has epistulas retinuisse putandus est, et quidem eadem causa, qua commotus Atticus nullam epistulam edidit, quam post annum 710 ad se missam accepit: Sunt enim iam in eis, quae supersunt, quibus Octavi fides in dubium vocetur atque hostiliter de eo disputetur; vide modo epistulam 15 libri XVI, ubi legimus (§ 3): *quamquam in praesentia belle iste puer retundit Antonium, tamen exitum spectare debemus . . nos eius voluntatem ante Idus Decembres* (anni 710) *perspiciemus in Casca nostro.*[3] Quid, quod Atticus nullam epistulam edidit, quae post has Idus Decembres data sit?[4] Nonne revera Ciceronem hoc die perspexisse voluntatem Octavii et inde tam gravibus verbis apud Atticum accusasse credemus, ut imprudentis atque audacis esset haec Octavio florente pervulgare?[5] Nam quod Cicero in epistulis ad alios datis et publice in orationibus Octavium laudibus ornare pergit, id non ex animi sententia profectum est, sed eo spectat, ut eam ad bonorum quos dicit partes trahat avocetque ab Antonii coniunctione, quam sibi, omnibus bonis, rei publicae exitio futuram putabat. Itaque quod Ciceronem arroganter

---

[1]) cf. Drumann I. pag. 359 not. 97, 362 not. 14, 369 not. 62. IV. 374.

[2]) cf. Drumann I. 370. IV. 374.

[3]) cf. etiam ad Att. XVI. 14. 1, 2: „Valde tibi assentior, si multum possit Octavianus, multo firmius acta tyranni comprobatum iri, quam in Telluris, atque id contra Brutum fore . .; sed in isto iuvene, quamquam animi satis, auctoritatis parum est.“

[4]) Omnium extremam (XVI. 15) paulo post V. Id. Dec. missam Ioh. de Gruber docet, pag. 32.

[5]) Eodem modo Asinius Pollio in „Historiis“ suis evitasse videtur ut ‚periculosae plenum opus aleae‘ bellum civile quod erat inter Octavium et Antonium describere. cf. Teuffel. l. c. pag. 383.

iecisse ferunt[1] *laudandum adulescentem, ornandum, tollendum* prorsus ex eius animo dictum est. Unde autem apertae inimicitiae Tulli et Octavi initium ceperint cognosci arbitror e Suetoni verbis haec memoriae tradentis: (vit. Octavii 26) *Consulatum vicesimo anno invasit* (Octavius) *admotis hostiliter ad urbem legionibus, missisque, qui sibi nomine exercitus deposcerent; cum quidem cunctante senatu Cornelius centurio princeps legationis reiecto sagulo ostendens gladii capulum non dubitasset in curia dicere: hic faciet, si vos non feceritis.* Ad hanc rem Plancus respicit, quum dicit (ad fam. X. 24. 4): *neque ille* (Caesar) *intermisit affirmare se sine mora venire, quum interim aversum illam ab hac cogitatione ad alia consilia video se contulisse* et § 6: *Quae mens eum, aut quorum consilia, a tanta gloria, sibi vero etiam necessaria ac salutari, avocarit et ad cogitationem consulatus bimestris summo cum terrore hominum et insulsa cum efflagitatione transtulerit, expulare non possum.* Inscriptum est epistulae unde haec desumpta sunt *V. Kal. Sext.* (711) *ex castris* (ad Isaram flumen[2]), apparet autem e verbis *insulsa cum efflagitatione* Plancum, dum haec scripserit non solum de Octavi consilio, sed etiam de audacia instructum fuisse, qua legati eius Romae usi essent. Quoniam vero tabellario ad hoc iter conficiendum non minus quatuordecim[3] diebus opus erat, pridie Idus Quinctiles, vel paulo antea Octaviani legatos tam atrociter in curia egisse colligimus. Quam ad ratiocinationem aptissimum est, quod in hoc corpus nulla Ciceronis epistula recepta est, quae hunc terminum transgrediatur. Nam si tempus earum epistularum, quae extremae sunt, componimus, datae sunt:

Planco X. 22. ineunte m. Quinct. cr. a. d. V. Id.[4]
Furnio X. 24. exeunte m. Iunio sive ineunte Quinct.
Appio X. 29. pridie Non. Quinct.
D. Bruto XI. 15. cr. a. d. V. Id. Quinct. (cf. Nake. Iahrb. pag. 660).
Matio XI. 27. V. Kal. Iun.
C. Cassio XII. 10. paulo post pridie Kal. Quinct.
Cornificio XII. 30. exeunte m. Maio.

---

[1]) ad fam. XI. 20. 1.

[2]) Nake. Progr. pag. 38.

[3]) Ioh. de Gruber. l. c. pag. 35 et Nake. Progr. pag. 7 quindecim fere diebus epistulas Roma in Planci castra perlatas esse docent.

[4]) post Planci et Bruti coniunctionem cr. a. d. XI. Kal. Quinct. factam (cf. Nake Iahrb. pag. 663).

Planci X. 24. a. d. V. Kal. Sext.

Pollionis X. 32. 33. ineunte mense Iunio.

Apparet igitur fere omnes epistulas proxime accedere ad Idus Quinctiles, sed hoc termino quasi recisas esse, unam quae post hunc terminum data est (X. 34) non Ciceronis esse sed Planci.

Itaque, si verum est Ciceronem patefactis Octaviani consiliis simul cum summa sua desperatione odium, quod procul dubio maximum in illum suscepisset, litteris ad eos datis, qui eandem causam sequerentur, commendasse, haec causa est, cur nullae huius temporis editae sint. Quamquam non ignoramus esse inter epistulas ad M. Brutum (I. 18), quae *V. Kal. Sextiles* data contra hanc regulam facere videatur, quam Tironem sibi imposuisse statuimus. Neque est per se, cur miremur unam epistulam, quum innocenter et sine ira conscripta esset, quamquam post illum terminum data esset, in volumina receptam esse. Quid vero, quod eandem hanc epistulam et proximam (17), quam eodem fere tempore datam esse crediderís, Nipperdeius et Schmidtius — ut silentio omittam Anglos criticos, qui omnes duorum horum librorum epistulas subditivas esse voluerunt — tantopere et a Ciceronis et Bruti dicendi atque sentiendi ratione et a temporibus, quae tunc erant, abhorrere consentiunt, ut duas has epistulas ex eo iudicio excipiant, quo reliquas ad M. Brutum genuinas esse statuerunt, atque hic quidem maximam partem luculentissime demonstravit? Nam quum in ea commentatione, quam de epistulis et a Cassio et ad Cassium datis Brutinas has epistulas extremis quinque libri primi exceptis cum Cassi atque, ubi par erat, cum aliorum aequalium epistulis quam accuratissime conferret, tempus quo singulae datae sint, sagaciter definivit docuitque gravissimas offensiones quas critici Angli in his epistulis sibi invenisse visi sint, a C. Fr. Hermanno in medio relictas, dummodo recta corrigendi ratio adhibeatur, irritas evadere atque evanescere. Reliquarum epistularum priores tres genuinos sibi videri, extremas spurias satis habuit indicasse. Atque haec sententia eis, quae de termino atque fine omnibus epistulis Tironianae editionis communi disputavimus, comprobatur atque illustratur. Recte enim Nipperdeio auctore eandem omnium epistularum conditionem fuisse negat et quum homines docti prioris aetatis cunctas epistulas aut genuinas aut spurias esse affirmassent, mediam viam ingressus est, qua una ad finem pervenire possumus. Etenim quomodo factum sit, ut quis epistulas e suo ingenio fictas adderet, facillime intelligitur, postquam cognovimus

Tironem Brutinas epistulas non ad finem omnes edidisse. In eo tantum Schmidtium errasse censeo, quod epistulas I. 15 et 16 spuriis non adnumeravit. Nec profecto ob eam rem etiam has epistulas in dubium vocaverim, quia ita comparatae sunt, ut post Idus Quinctiles anni 711 datas esse cogitandum sit (etsi hoc iudicio nostro aliquantum subvenit), sed aliae causae accedunt, quas longum est hoc loco explicare. Verum ut summam nostri iudicii adumbremus, videntur quatuor hae epistulae[1] et epistula illa ad Octavium, quam Pseudo-Ciceronis esse omnes consentiunt, conscriptae esse ab homine quodam docto proximo ab illis temporibus, ne dicam eorum participe, qui, quum eas epistulas desideraret, quibus appareret, quo animo Cicero salutis suae et rei publicae ruinam tulisset, quae tunc eius cogitationes, quae contentiones fuissent, quae apud Brutum existimatio, damnum quodammodo explere conaretur. Cognosci autem fraudem non tam aut falsarii inscitia dicendi rationis, qua Cicero in epistulis usus est — quamquam Brutum prorsus eodem modo loquentem facit — aut gravioribus peccatis, quae contra historiam pugnent, quam manifesto studio talium epistularum componendarum, quibus legentium aures quam maxime delectentur. Hoc scilicet studio ductus, rem ita instituit, ut et Ciceronem et Brutum de rebus ab utroque gestis et quodammodo de locis communibus in utramque partem disputantes faceret, quasi vero tunc temporis, quum salus rei publicae summo in discrimine erat, eo animo fuissent, ut declamationes conscriberent, quas ex umbraculo otioque rhetoris cuiusdam neque vero e castris atque e forensi strepitu profectas esse crederes. Satis autem perspicuum est rhetorem illum sibi proposuisse, epistula 15 de honoribus et de poenis ita disserere, ut simul Ciceronis ratio excusaretur,[2] epistula 16 inconstantiam Ciceronis componere cum invicto Bruti animo, epistula 17 Ciceronis imperitiam atque ambitionem in rebus publicis tractandis Brutum apud Atticum accusantem[3] facere.

[1]) Primas duas paragraphos epistulae I. 15, quibus absoluta epistula commendatitia efficitur, dubito num ex hoc iudicio excipiam.

[2]) vide modo § 3: Venio nunc „longo sane intervallo" ad „quandam epistulam," qua multa mihi tribuens unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius et tamquam prodigus. § 10: Satis multa de honoribus: nunc de poena pauca dicenda sunt. § 11. Habes rationem mearum sententiarum de hoc genere dumtaxat honoris et poenae; nam, de ceteris rebus quid senserim quidque censuerim, audisse te arbitror. Sed haec quidem non ita necessaria: illud valde necessarium, Brute, te in Italiam cum exercitu venire, quam primum.

[3]) cf. § 1. „Scribis mihi mirari Ciceronem, quod nihil significem unquam de suis

Summum auxilium ad eam sententiam refutandam, tamquam editae fuissent praeter eas epistulas, quae in XVI his libris exstant, aliae ad eosdem datae, supra inde quaesivimus, quod quos locos antiqui scriptores ex epistulis eisdem inscriptis afferunt, quorum epistulae etsi paucae in hoc corpore leguntur, eidem loci inter has reperiri solent. Neque vero illa occasione celavimus, esse tamen, de quibus hoc non valeat. De his nunc videndum est.

Atque primum quidem uni epistulae ad Caesarem, uni ad Pompeium datae (V, 7 et VII, 5) nihil nos tribuisse, nemo improbaverit: neque enim eas *excerpta* e singularibus corporibus derivata, neque solas a Tirone repertas atque editas esse quisquam dicere voluerit. Tenemus igitur eas consulto, atque illam quidem de causa satis perspicua, segregatas esse a numero reliquarum tres minimum et quatuor libros efficientium. Difficilius est iudicium ferre de loco illo, quo Nonium verba ut ex epistula ***ad Catonem*** hausta afferre vidimus,[1] quae in hoc corpore non exstant. Quid enim hoc loco faciemus? Tres, quantum video, explicationes cogitari possunt: aut in altero quodam libro eiusdem huius corporis, nunc deperdito, seiunctas fuisse ab epistulis libri XV. (3--6) alias ad eundem Catonem missas, sicut epistulas ad Cassium bipertitas esse vidimus, aut excidisse unam illam epistulam e libro XV, aut Nonium in loco afferendo errasse. Quarum rationum prima nullam habet probabilitatem, neque enim causa divisionis erat, quoniam omnes epistulae ***ad Catonem*** ante annum 709, quo anno mortem sibi conscivit, necessario datae sunt; altera ratio per se non credibilis est,[2] tertia vero satis credibilis, si meminerimus, quam negligenter Nonius in locis afferendis egerit.[3]

Falsa opinione niti videtur H. Keilius, quum locum corruptum: ***Calvus alibi ad uxorem: prima epistula videtur in via delita,*** qui est in Diomede (pag. 376, 1) ita restituere conatur, tamquam desumpta sint haec verba e litteris non a Calvo, sed a Cicerone ad Terentiam uxorem datis, quae ad nostram aetatem non pervenerint. Etenim, si non casu quodam unam illam epistulam, complures vel totum librum ***ad Terentiam***

---

actis: quoniam me flagitas, coactu tuo scribam, quae sentio . . . . quaedam mihi videtur, quid dicam? „imperite“ . . an „ambitiose“ fecisse.“ e. q. s.

[1]) pag. 438. 33. „M. Tullius ad Catonem: nec idcirco mihi desiderandam esse dignitatem meam, quod eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quod plures desiderarint.“

[2]) quamquam ep. IX. 29 in cod. Harlei. II. excidit. cf. Rühl, Rh. Mus. XXX. 29.

[3]) Unde revera hic locus desumptus sit vix poterit indagari.

perisse statuendum esset. Nunc vero praeter epistulas libri XIV. ullas unquam fuisse editas non probabile est, primum quia hic liber tam tenuis est, ut aliae epistulae ad eandem datae, si quae praesto fuissent, procul dubio in eundem receptae essent, neque eum mutilatum esse inde cognoscitur, quod in eo epistulae vel remotiorum annorum (696) servatae sunt, et quae extremae sunt, revera omnium ultimae datae esse videntur. Nam epistulae 24, 23, 22 anno 707 Brundisio, epistula 20 iam de Venusino a Tullio domum redeunte missae sunt, postea vero epistulas ad uxorem dedisse non putandus est, quippe cui et occasio et animus deesset: primum enim una erant, sed iam proximo anno Cicero eam dimisit,[1] quam etiam extremis his epistulis tam inhumane tractavit, ut non nisi invitum eum, quae maxime necessaria erant, cum ea communicasse appareat.

Restat, ut de epistula quadam quaeramus, quam Ioh. Saresberiensis hunc in modum affert (Ed. Masson. in magna bibl. patr. Coloniae 1622 XV, ep. 179 pag. 558): „Licet autem omnino sileas, te tamen, ut Cicero in epistula ad Tironem de amico scribit, utique et in omnibus habeo excusatum, ponens, si quando distuleris ab officio, tibi opportunitatem defuisse, non animum.“ Quae verba, quum in libro XVI. epistularum ad fam. non reperiantur, prorsus incerta ac dubiae fidei esse Orellius[2] recte monet. Plures enim epistulas a Cicerone ad Tironem datas unquam pervulgatas fuisse idcirco negamus, quia hic libellus tenuissimus est, quia epistulas inde ab anno 700 (epp. 10. 13—16) usque ad exeuntem annum 710 (ep. 25) datas continet, quia epistulae a Q. Cicerone missae seriem terminant, unde librum integrum esse colligimus. Ceterum praeter eas epistulas, quas etiam nos possidemus, homines doctos mediae aetatis nullas novisse, ubi vero libros *ad Calvum, ad filium*, ad alios, qui nunc non exstant afferant, notitiam ab antiquis scriptoribus petivisse satis constat.[3]

Eis, quae modo disputavimus comprobatum esse censeo, quod supra posuimus, epistulas ad fam. constare ex eis epistulis, quae singulae fines unius libri non excedant. Atque his fortasse adnumerandas esse epistulas ad Caerelliam, ad Hostilium, ad Metellum, ad Titinium, ad Gorgiam, ad Herodem, ad Pelopem iam monuimus.

---

[1]) cf. ep. ad fam. IV. 14. 2 et Drumannum IV. pag. 691.

[2]) hist. crit. epp. Tulli ad fam. pag. VIII.

[3]) cf. Orelli l. c. Detlefsen, N. Jahrb. f. Phil. 1863 vol. 87. pag. 553. sqq. Hofmann „Der critische Apparat zu Ciceros Briefen an Atticus geprüft.“ Berlin 1863. pag. 3.

Reliquas epistulas, de quibus memoriae traditum est, singularia corpora effecisse cognoscitur ex ea, qua apud antiquos scriptores afferuntur, ratione, neque vero aut quot singularum libri, aut quomodo dispositae fuerint, per se intelligitur. De utroque una videndum est. Neque eandem omnibus illis corporibus formam fuisse exemplis epistularum ad Quintum fratrem et ad M. Brutum docemur. Nam illarum ab anno 694 usque ad annum 700 pertinentium tres[1] libri sunt, in quos unius Tulli epistulae atque hae quidem suo ordine receptae sunt; harum novem minimum libros fuisse Nonius (pag. 421. 29) testis est, quorum quosdam epistulas mensium Mai, Iuni, Quinctilis anni 711 continentes ita comparatas esse vidimus, ut epistulae a Cicerone et a Bruto datae locos fere alternent. Quoniam vero locus ille, quem Nonius ut ex libro nono petitum affert, in eo libro legitur, qui nunc primus est, et quum hunc extremas epistulas Brutinas continere cognoverimus, librum nonum extremum eundem illius corporis fuisse pro certo habemus. Mirum autem accidit, quod et in libris *ad Quintum fratrem* et in Brutinis foliis archetypi codicis in alienum locum delatis pristinus epistularum ordo male turbatus est, quod vitium et Theodorus Mommsen[2] et Carolus Fr. Hermannus,[3] quo sunt mentis acumine, perspexerunt et removerunt. Atque pauca, quae hic quidem imperfecta reliquit, Schmidtius correxit, eumque ordinem in extremo suo libello constituit (pag. 55), quem maximam ad partem poteris prorsus approbare. Cuius ratiocinationem si sequimur, videntur sane primo quidem obtutu sine ratione dispositae esse epistulae, quarum, si ad tempus respicimus, hic ordo debuit esse: II, 5 et 3.[4] 1. 2. 4. 6. 7. I, 1. 3. 3^{b}.[5] 5. 2. 4. 6. 7 (?). 8 (?). 11. 10. 9 (?). 12. 13. Attamen fere omnia optime se habent, Schmidtique rationem mirum in modum comprobant. Etenim si respicimus ordinem, quo epistulae a Cicerone datae sint, sic sese excipiunt: II, 1. 4. 6. 7. I, 3. 3^{b}. 5. 2. 8 (?). 10. 9 (?). 12, quo ordine acceptae, sic: II, 5 et 3. I, 4. 6. 7 (?). 11. 13,

[1]) Plures unquam editas fuisse Hofmannum (Ausgew. Briefe I. pag. VII.) iure negare censeo.

[2]) Zeitschr. f. Alt.-Wiss. 1844. Nr. 75 sqq. et 1845 Nr. 98 sqq.

[3]) Abhandl. der Göttinger Gesellsch. d. Wissensch. 1847. pag. 167 — 169.

[4]) Ep. II. 3 cum ep. 5 eiusmodi coniungenda est, ut ep. 5 usque ad verba: „hoc magis doleo Asiam priorem,“ ep. 3 posteriorem epistulae partem efficiant.

[5]) Sic significat Schmidtius (pag. 44, 45) eam epistulam, quam inde a vocibus „Consules duos“ (ep. I. 3. § 4) usque ad eiusdem paragraphi verba „persequitur et Caesar“ pertinere sagaciter exposuit.

describitur autem hoc ordine quasi accurata imagine temporis ratio, quo Cicero epistulas et misit et missas accepit.

Postquam enim Tiro primum exemplum epistulae II, 1 eodem tempore, quo a Cicerone data est h. e. *(inter a. d. XIII. Kal. Apriles et) a. d. VII. Id. April.*, tum deinceps II, 2 a. d. III. Id. April. mane, II, 4 pridie Id. April. mane datas in volumina recepit, tradita est Ciceroni ep. II. (5 et 3) Kal. April. a Bruto Dyrrhachio data. Undecimo enim die, ut par erat,[1] hoc est a. d. XI. Id. April. perlata est. Haec et quae proxime facta sunt Cicero ipse tradit epistula II, 4 (§ 1): *Datis mane a. d. III. Id. April. Scaptio litteris eodem die tuas accepi Kal. April. Dyrrhachio datas vesperi: itaque mane prid. Id. April., quum a Scaptio certior factus essem non esse eos profectos, quibus pridie dederam, et statim ire, hoc paullulum exaravi ipsa in turba matutinae salutationis.* Accepit igitur epistulam II. (5 et 3) post datam II, 2, ante datam II, 4. Atque eodem ordine Tiro eas describendas curavit. Nam hanc sedem totius epistulae (5 et 3) fuisse, quam nunc tenet altera pars (ep. 3) in promptu est. Epistulam 4 recte sequitur 6 (= II, 4 inde a § 4) *aut prid. Id. April. vesperi aut Id. Apr. mane*, et 7. a. d. XVI. Kal. Mai. datae.

His epistulis, quae procul dubio extremae libri VIII. *ad M. Brutum* erant, proximae sunt primae libri olim noni nunc primi. De epistula I, 1 quidem iudicium non satis certum est. Ponit sane C. Fr. Hermannus (l. c. pag. 167—169) diem XII. Kal. Maias a Cicerone non secundae, a quo abiudicandus est, sed primae huic epistulae adscriptum, a librario vero, qui epistulam 2 propter verba: *„Scripta et obsignata iam epistula mihi redditae sunt a te plenae rerum novarum.“* appendicem primae esse putaverit, ad secundam epistulam extremam transscriptum esse. Quam rationem Schmidtius recipit, praeterquam quod pro *XII. K. Maias* XV. K. Maias scriptum fuisse persuasum habet. Non nego hoc fere tempore primam epistulam posse datam esse, quamquam ipsius verba nullam ansam praebent, unde in tempore definiendo proficisci possis: totam hanc difficultatis expediendae rationem improbo. Nam etiamsi librario illi tantum licentiae tribuamus, tamen monendum est epistulam I, 1 esse commendatitiam, commendatitiis autem epistulis diem adscribere contra morem Romanorum fuisse. Ita enim non dubito statuere, quia e

---

[1]) cf. Schmidt. l. c. pag. 11.

103 epistulis huius argumenti[1] ne uni quidem dies adscriptus traditur. Atque causa cur id omiserint bene intelligitur: volebant enim eum, qui commendabatur, ea epistula, quam ipse a patrono tradendam accepisset, quolibet tempore uti posse, — qui mos valde se commendat.

Itaque quo die epistula I, 1 data sit cognitum non habemus, ponimus autem ex ratione, qua has epistulas dispositas esse volumus, traditam eam esse Tullio post ep. II, 6 et ante ep. I, 2 vel I, 3 datas. Alterum hoc dubium est, quia epistula II, 2 praeter exspectationem hunc locum tenet ante epistulas I, 3. 3ᵇ. 5. a. d. X. Kal. Mai., a. d. V., a. d. III. Non. Mai. ab eodem Cicerone datas, quum ipsa paulo ante Id. Mai. missa sit.[2] Transposita igitur una hac epistula, quam post epistulam 5 collocatam fuisse volumus, ordo restitutus est: recte enim factum est, quod epistulae 1. 3. 3ᵇ. 5. 2 omnes ante Id. Maias missae, locum tenent ante Bruti epistulas 4 et 6 Id. Mai. et a. d. XIV. Kal. Iun. Dyrrhachio datas. Epistulas I, 7 et 8 praetermittimus, quum nihil contineant, unde quo tempore datae sint cognosci possit. Certius iudicium est de epistulis 9. 10. 11. 12., nam quum Vetus Antistius, qui Ciceroni epistula 11 commendatur, Romae esset, quum hic epistulam 9 scripsit (§ 3 . . *iis litteris, quas Veteri nostro cogitabam dare.*), epistulam 11 ante epistulam 9 et datam et acceptam esse in promptu est. Epistulam 12 autem post 9 datam esse inde cognoscitur, quod Veteri ad Brutum redituro tradita est (§ 1 *Veterem nostrum ad te sine litteris meis venire nolui.*) Quod vero Schmidtius epistulam I, 10 scriptam esse opinatur, antequam Vetus Romam pervenerit, quia in ea omnino non commemoratur, vereor ne huic argumentationi nihil tribuendum sit. Itaque epistularum I, 9—12 ordo sive hic: 10. 11. 9. 12 sive hic est: 11. 9. 10. 12, certe non is est, quem in libris traditum vidimus. Quod ne quis miretur, vel etiam contra nostram sententiam facere dicat, monendum est Tironis consilium non fuisse certum hunc epistularum ordinem diligenter servare atque ante oculos ponere, sed, quum epistulas eo tempore, quo ei a Cicerone committebantur, statim in volumina recipere soleret, factum esse, ut

[1]) cf. lib. XIII, 1—79. II, 6. 14. (III, 1.) V, 5. VI, 9. VII, 5. 21. IX, 13. XI, 17. 22. XII, 21. 26. 27. 29. ad Att. XVI, 16 A—F. ad Brut. I, 1. 7. 8. 11.

[2]) Dies „XII. K. Maias" huic epistulae adscriptus aut ex arbitrio librarii cuiusdam originem ducere aut casu quodam aliunde huc migrasse putandus est. Atque alterum hoc quodammodo se commendat, quum in proxima epistula idem hic dies suo loco legatur (ep. III, 2.), unde in marginem adscriptus facile potuit in alienum locum deferri.

epistulae plerumque recte sese exciperent, sed accidisse etiam, ut duae vel tres, quas eodem tempore acciperet inverso ordine describerentur. Hoc dictum puta etiam de epistulis I, 13. 14. Nam recte quidem ep. 12 medio mense Iunio a Cicerone data ante epistulam 13 legitur, quam Brutus Kal. Quinct. Dyrrhachio misit. Sed quum haec undecimo die, h. e. V. Id. Quinct., quo die Cicero epistulam 14 scripsit, nondum perlata sit — neque enim verba paragraphi primae: *Breves litterae tuae, breves dico? immo nullae: tribus ne versiculis his temporibus Brutus ad me?* ad epistulam 13 referri possunt — debet post epistulam 14 collocata esse. Sumamus igitur epistulam 13 Ciceroni paulo post traditam esse, quam epistulam 14 misit, Tironem autem eas simul describendas accepisse atque inverso ordine in volumina recepisse.

Denique, quum duodeviginti epistulae de quarum tempore satis constat ita dispositae sint, ut quindecim prorsus eum ordinem servent, quo Cicero eas et dedit et missas accepit, una (I, 2) vehementius, duae paullulum (I, 10. 13) recedant, dubitari non potest, quin Tiro hanc in epistulis colligendis rationem secutus sit, ut epistulas ipso illo tempore, quo Cicero unam quamque et dedit et accepit, in volumina referret.

Quanto autem in errore sint, qui etiam has epistulas excerpta esse velint,[1] facile intelligetur, quum de integritate duorum horum librorum quaesiverimus. Respicit enim ep. II. 4 et ad epistulam II, 2 et ad II. (5 et 3) [cf. II, 4 § 1 *Datis mane a. d. Id. April. Scaptio litteris* (= II, 2) *eodem die tuas accepi Kal. April. datas* (= II, 5 et 3) e. q. s.], atque etiam ep. II, 6 rescripta est ad II. (5 et 3), cf. § 3 *Quod scribis te ad Terentiam uxorem scripsisse, ut ne prius ederent ea, quae gesta a Cassio essent* . . et II. (5 et 3) § 3 *ego scripsi ad Terentiam sororem, ne prius ederent hoc, quod optime ac felicissime gessit Cassius* . . sive II, 6 § 4 *quod egere te duabus ne cessariis rebus dicis, supplemento et pecunia* . . . et II. (5 et 3) § 5: *Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia et supplemento* . . Neque inter epistulas II, 1 et II, 2 et inter II, 6 et II, 7, quarum illae quidem octo dies, hae non plus tribus diebus distant, alias intercessisse credibile est, quum nihil sit, quod desideremus aut quod explicatione egeat. Alterius igitur huius libri epistulae integrae sunt.

E conspectu autem epistularum prioris libri eximendae sunt epi-

[1]) Teuffel l. c. pag. 279. 3. „Dass sie eine Auswahl aus der grösseren Sammlung sind, macht das Citat bei Non. Marc. pag. 286 (ep. ad Brut. IX. = ad Brut. I, 1.) wahrscheinlich.“

stulae commendatitiae 1. 7. 8. 11, quae ita in uno hoc argumento versantur, ut reliquarum rationem omnino nullam habeant. Etiam epistula I, 1 non habet ad quam rescripta sit, sed septimo die post epistulam II, 7 a Cicerone data est, quum ipse nullam a Bruto missam acceperit (cf. § 3 *Me velim de tuis rebus consiliisque facias diligentissime certiorem* ..). Quatuor diebus intermissis Cicero epistulam I, 3, duodecimo die post hanc epistulam I, 3^b, perendie huius diei epistulam I, 5 sua sponte misit, neque enim ullas Bruti litteras commemorat, ad quas rescriptae esse videantur. Contra epistulae I, 1 prima verba: *Scripta et obsignata iam epistula litterae mihi redditae sunt a te plenae rerum novarum* testimonio sunt perisse Bruti et fortasse etiam Ciceronis epistulam quandam, quamquam cogitari potest hunc accepta Bruti epistula alteras has tantum dedisse litteras, priores iam scriptas atque obsignatas utpote temporibus mutatis supervacaneas retinuisse. Epistulam I, 4 Brutus ad epistulas I, 3 et I, 3^b. (cf. Schmidt. pag. 45. 46), epistulam I, 6, ut ex paragrapho prima elucet, ad epistulam I, 5 rescripsit. Epistulam I, 9 autem quodammodo ad epistulam I, 11 respicere, qua Vetus Antistius commendatur, inde apparere iam vidimus, quod in illa huius ut Romae versantis mentio fit. Atque quum prima verba epistulae 10 *Nullas adhuc a te litteras habemus, quae declarent te cognita senatus auctoritate in Italiam adducere exercitum* .. Ciceronem circa a. d. VIII. Id. Iun. iam diutius Bruti litteras exspectasse doceant, indicio nobis sunt eum post epistulam I, 6 extremis mensis Iun. diebus datam, alteram tunc non accepisse. Quod quidem comprobatur epistula ad fam. XI, 25, qua a. d. XIV. Kal. Quinct. data hunc in modum queritur: *De Bruto .. nihil adhuc certi.* Proxima vero epistula I, 12 rescripta est ad Bruti litteras quasdam, quae ad nostram aetatem non pervenerunt, quas quidem quum *breves, immo nullae, tribus versiculis non ampliores* fuerint, Tiro consulto retinuisse putandus est. Has autem Bruti litteras post diuturnum silentium primas fuisse ex indignatione cognosci censeo, qua Cicero eas tam breves fuisse queritur: eo graviores scilicet atque uberiores futuras esse speravit, quo diutius eas exspectaverat. Denique, ut summam huius quaestionis comprehendam, desideratur una epistula a Bruto, nescio an una a Cicerone, utraque ante epistulam I, 2 scripta[1] et si pusillam illam, quae fere nulla fuisse dicitur adnumerare velis, una ante epistulam I, 13 a Bruto data.

[1]) Quoniam et eadem haec epistula I, 2 magis ab epistularum ordine recedit et in proximis epistulis I, 3 et I, 3^b vestigia perturbationis manifesta sunt foliis codicis

Quae quum ita sint epistulas Brutinas non solum eodem ordine, quo Cicero eas et dedit et missas accepit, sed etiam integras editas esse in universum statuere non dubito.

Neque inopinatum hoc nobis evasit, quod potius cum ea sententia prorsus congruit, quam de origine et de prima conditione collectionis Tironianae proposuimus. Itaque id quod exemplis epistularum ad familiares, ad Quintum fratrem, ad M. Brutum exploratum est, eodem modo in perditis libris valuisse putandum est, ita ut qui epistulas ante medium annum 710 datas continuerint alia ratione compositi fuerint, quam qui epistulas inde ab hoc termino datas.

Atque paulo accuratius licebit de conditione singulorum horum corporum disserere, quum testimonia antiquorum scriptorum ratiocinationibus nostris quodammodo subveniant.

Epistularum ad Pompeium Nonius (pag. 293. 37) librum IV. affert, neque ita multo plures editas fuisse nescio an liceat inde colligere — siquidem etiam hae epistulae sicut Quinti fratris secundum temporis rationem dispositae erant — quod epistula illa e libro IV. desumpta et singulari quodam casu etiam in epistulis ad Atticum (VIII, 11. D) servata a. d. III. Kal. Mart. anni 705 data est, postea autem plures epistulae a Cicerone ad eum datae esse nequeunt; nam ipse mense Iunio eiusdem anni ad Pompeium profectus est, hic vero a. d. V. Id. Sext. apud Pharsalum victus praeceps in Aegyptum fugit ibique trucidatus est. Etiam Pompei epistulas ad Ciceronem missas[1] editas fuisse nemo testatur.

Epistulas a Cicerone ad Caesarem datas seiunctas fuisse ab eis, quas Cicero ab eodem missas accepit ea ratione cognoscitur, qua utrumque corpus ab antiquis grammaticis affertur. Nam illarum Nonius tres libros duodecies commemorat, harum Philargyrius tertium librum (ad Verg. Georg. III. 204 ***Esseda vehiculi vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli. Caesar testis est libro ad Ciceronem III: „Multa milia equitum atque essedariorum habet.“***), Charisius[2] I. pag. 126. 11 incertum quendam affert.

---

archetypi transpositis atque elapsis alia in alienum locum delata alia intercisa esse non inepte mihi videor opinari.

[1]) praeter eas, qui sunt ad Att. VIII, 11. A. C. et 12. A—D.

[2]) Charisius haec dicit: „Itaque Caesar epistularum ad Ciceronem: neque, inquit, pro cauto e. q. s.“ Qua in re cum Nakeo (hist. crit. 11. not. 26) facio, qui numeri alicuius signum librum indicans post ‚Ciceronem‘ intercidisse arbitratur. cf. etiam Sueton. vit. Caes. 56.

Quod vero Nonius *librum I. ad Caesarem* octo, libros II. et III. binis locis, plures nusquam in suum usum convertit, tres omnino libros fuisse facile crediderim.

Verum nolumus hoc loco reticere dubitari posse utrum mutuae Ciceronis et Caesaris epistulae ab eodem Tirone an ab eis editae sint, quos ceteras Iuli epistulas, ad C. Oppium dico, ad Balbum, ad alios datas, in vulgus edidisse constat.[1] Si alterum hoc verum est, melius etiam intelligitur, quomodo factum sit, ut tres illae epistulae (ad fam. VII, 5. XIII, 15. 16), utpote in collectione Iuliana praetermissae, in corpus epistularum ad fam. reciperentur.

Epistularum ad Calvum,[2] quum Priscianus (II. pag. 492. 12) librum I. afferat, minimum duos libros vulgatos fuisse manifestum est. Ab his nimirum segregatae erant Calvi ipsius, de quibus Tacit. dial. 18 agitur: *legistis et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistulas.*

Epistularum ad Axium[3] Nonius (pag. 509. 20) librum I. citat, fortasse autem plus duo libros ad eundem exstitisse concludere licet e Frontonis ep. ad Anton. II, 5: *unum* (librum) *ad Axium describi iubebis.* Num etiam ipsius Axi epistulae editae fuerint, non liquet.

Haec igitur corpora, de quibus modo egimus, nullas epistulas continebant, nisi ante datas, quam Tiro consilium epistularum colligendarum atque edendarum cepit, qua re factum est, ut alio volumine componeret quascunque Cicero ad unum quemque horum virorum dedit, alio eas, si quidem omnino editae sunt, quas ab eisdem accepit.

Iam videndum est de eis epistulis amissis, quae partim et ante et post, partim cunctae post hunc, quem statuimus terminum a Cicerone et datae et acceptae sunt. Atque hae quidem paucis possunt absolvi, quum praeter epistulas ad Octavium et ad Cornelium Nepotem nullae commemorentur, quas iure huc referas. Cum Octavio vero post Caesarem occisum per litteras agere coepit, quum hic puer undeviginti annorum ex otio, quo Apolloniae usus erat, excitatus arma capesseret nomine ut rem publicam conservaret, re ut patris necem ulcisceretur eiusque consilio per-

[1]) cf. Sueton. vit. Caes. 56. „Epistulae quoque eius ad senatum exstant . . .; exstant et ad Ciceronem, etiam ad familiares domesticis de rebus.“ Gellius XVII, 9. „Libri sunt epistularum C. Caesaris ad C. Oppium et Balbum Cornelium c. q. s.“ Charisius 79. 22 „Caesar ad Pisonem.“ Sueton. vit. Caes. 73 „ad Licinium Calvum.“ vide alia in Nipperdeyi ed. Caesaris comment. 1847 pag. 766 sqq.

[2]) Calvus anno 708 non iam vivit. cf. Orelli-Baiteri Onom. Tull. II, pag. 343.

[3]) Axi post annum 705 (ad Att. X, 11. 2; 13. 2; 15. 4) mentio in epistulis nulla fit.

sequeretur. Cicero initio mensis Novembris anni 710 primum litteras sibi ab Octavio datas commemorat (ad Att. XVI, 9) et paucis diebus post haec potuit scribere (ad Att. XVI, 11. 6): *denique ab Octaviano quotidie litterae, ut negotium susciperem.* Atque quum Nonius librum I. septies decies, librum II. novies, librum III. bis[1] afferat, tres omnino libros fuisse pro certo habeo. Valde autem dubium est, num Tiro ausus sit ipsius Octaviani epistulas divulgare: certe nusquam earum mentio fit. Ciceronis autem epistulas ordine temporis servato editas fuisse, quum e nostra sententia verisimillimum est, tum fragmentis cognoscitur, quae Nonius memoriae tradidit;[2] neque vero etiam harum tempus Idus Quinct. anni 711 excessisse vix opus est monere. Haec nimirum res rhetori illi occasionem praebuit Pseudo-Ciceronis illius ad Octavium epistulae componendae, quod facere non ausus esset, si ipsius Ciceronis extremo aetatis suae tempore ad Octavium datae superstites fuissent.

Afferunt Macrobius (sat. II, 1. 14) librum II. epistularum ad Cornelium Nepotem, Lactantius (Instit. III, 15. 10) litteras quasdam libri significatione omissa ab eodem ad Ciceronem missas, alia testimonia de his epistulis non exstant graviora.[3] Omnes vero post medium annum 710 datas esse, neque omnino antea familiaritatem maiorem inter eos fuisse, ni fallor, inde colligi potest, quod duabus tantum epistulis, altera (ad Att. XVI, 5. 4) a. d. VII. Id. Quinct., altera (ad Att. XVI, 14. 4) medio mense Novembri anni 710 datis, Nepotis mentio fit, atque hoc quidem loco ita, ut Cicero profiteatur se quendam eius filium esse omnino nescire. Itaque multos mutuarum epistularum libros fuisse negaverim, praesertim quum etiam harum nullae post Id. Quinct. 711 datae esse putandae sint. Ordo autem nimirum hic erat, ut Ciceronis et Nepotis epistulae, sicut Tironi traditae essent, locum alternarent.

Eae denique epistulae, quarum altera pars ante, altera post medium annum 710 datae erant, M. Bruti sunt, Hirti, Pansae, Ciceronis fili.

---

1) Non. Marcell. ed. Lud. Quicherat 1872 index pag. 669.

2) Libri I. sunt (pag. 538): „Pridie Non. Febr. (711) cum ad te litteras mane dedissem. e. q. s.“ (pag. 238): „aut ad consules aut ad te aut ad Brutum adissent.“ Consules illi sunt Hirtius et Pansa, videtur igitur haec epistula ante ineuntem m. Maium data esse, quo uterque periit. Libri II. sunt (pag. 389) „Scriptum erat equestre proelium valde secundum e. q. s.“ quae respiciunt ad pugnam apud Forum Gallorum a. d. XVII. Kal. Iun. commissam; (pag. 344): „Quem perisse ita de re publica merentem consulem (Hirtium sive Pansam) doleo.“

3) cf. Orelli, M. T. Ciceronis opera; frgg. pag. 968.

Atque harum omnium eam conditionem fuisse, ut quaecunque post Iunium mensem anni 710 a Cicerone et dabantur et accipiebantur, eodem fere numero atque ordine in volumina reciperentur, exemplis epistularum ad fam. X, XI, XII, ad M. Brutum II, I satis comprobari censeo. Hac ratione etiam intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut epistularum ad Hirtium totidem libri (Non. p. 450. 3 affert librum nonum) fuerint, quot coniunctarum Ciceronis Brutique epistularum, quamquam Cicero cum illo non ante annum 708 familiaritate coniunctus fuisse videtur,[1] atque iam exeunte mense Maio anni 711 Hirtio mortuo litterarum commercio finis impositus est. Ne Pansa quidem ante annum 708 cum Cicerone litteris egisse videtur,[2] anno 710 plerumque una erat Romae, unde consul factus non ante medium mensem Martium a. 711 discessit.[3] Defunctus autem est mense vix peracto (a. d. IV. Kal. Mai.) vulnere apud Forum Gallorum accepto. Itaque quum liber III. *ad Pansam* (Non. pag. 92. 21) commemoretur, multo plures fuisse non existimo.

Iam vero, quum, qua ratione priores horum corporum partes comparatae fuerint, dubium esse possit, unum hoc certo iudicio negare licet, dispositas esse etiam harum epistulas eo ordine servato, quo a Cicerone datae et acceptae essent. Sed quoniam altera ex parte epistulae Bruti ad Ciceronem quidem (Prisc. IX, 7. 38, Quintil. IX, 4. 75, Tac. dial. 18), nunquam vero harum liber aliquis ab antiquis scriptoribus affertur, quodammodo etiam hae epistulae cum Ciceronis epistulis in prioribus illis libris copulatae fuisse putandae sunt.

Denique epistularum *ad filium* liber I. (Prisc. p. 428; 498. K.) et liber II. (Non. pag. 275. 17) commemorantur. Hic anno 689 natus (ad Att. I, 2. 1) 706 in Pompei castris versabatur (de off. II, 13. 47), sed anno 710 demum diligentius cum patre litteris videtur egisse,[4] quo anno Athenis Cratippum Peripateticum audiebat. Ipsius filii sunt: ad fam. XVI, 21. 25 ad Tironem datae, unde colligimus etiam epistulas eius ad patrem datas, etsi traditum non est, editas fuisse.

Ciceronis epistulas graece scriptas suum per se volumen effecisse Nakeus (hist. crit. pag. 10 adn. 21) non sine probabilitate statuit. Praeterea maius quoddam epistularum corpus exstitisse, de quo memoriae

---

[1]) cf. ad Att. XII, 2. 2, ad fam. IX, 6. 1. XVI, 7.

[2]) cf. ad fam. VI, 22. 2 et 3; de proximis temporibus: Orelli, Onomast. Tullianum pag. 646. — [3]) cf. Schmidt. l. c. pag. 29—31.

[4]) ad Att. XIV, 7. 2; 11. 2; 15. 4; 17. 2; 20. 4; XVI, 15.

non traditum sit, non est cur sumamus, quum pleraque saepius et a variis scriptoribus commemorata esse videamus.

Atque omnino restringendum est eorum iudicium, qui epistulas ad fam. sive pro excerptis habentes, sive pro minore collectione ad tempus edita, quam maiores eiusdem argumenti secutae sint, in errorem inducti sunt, tamquam fuerit copia epistularum Tullianarum quae in vulgus quondam editae essent, quasi infinita.[1]

Rectius, ni fallor, ita in universum statuimus, editas fuisse fere omnes epistulas, quas Cicero post medium annum 710 usque ad Idus Quinct. 711 et dedisset et accepisset, priorum annorum non ita multos, si quanta multitudo scripta sit mente consideramus, neque etiam semper eas, quae Ciceroni missae erant.

Atque Tironem omnes has epistulas — epistulis ad Atticum exceptis — edidisse adhuc ut rem, de qua dubitari non possit, tractavimus. Quamquam controversiam illam Atticusne an Tiro epistularum editor fuisse putandus sit, diu multumque agitatam et ne nunc quidem ad finem perductam esse nemo ignorat. Sed quum res ita se habeat, ut aut quaecunque de origine et prima conditione epistularum ad fam. atque reliquarum disseruimus, falsa sint, aut si non falsa sunt, iudicium de Tirone satis constet, nolumus singula quaeque atque minutiora afferre, quae cum hac sententia facere videantur, praesertim quum iam ab aliis[2] satis superque exposita sint. Quum vero Tunstall,[3] Manutius,[4] Drumannus,[5] Nakeus[6] ad hanc sententiam refutandam nullum aliud argumentum offerant, quam hoc, quod ipsius Tironis epistulae negligentissime dispositae sint, etiam hoc nullius fere momenti esse apparet. Nam etiamsi, ut illi homines docti volunt, Atticus epistulas ad fam. edidisset, nihilominus Tironis fuisset suas epistulas Attico bene collectas tradere et singulis diem quam accuratissime adscribere, dummodo voluisset eas servato temporis ordine in volumina recipi. Maneret igitur negligentiae crimen, cuius Tironem absolvere volunt. Iam vero sunt omnes hae epistulae ad Tironem ante medium annum 710 datae, atque Tironem earum epistularum in temporis ordinem redigendarum, quas ante hunc

[1]) cf. Nake. hist. crit. pag. 9.

[2]) J. C. d'Engelbronner „de M. Tullio Tirone." Amsterdam. 1804. Hofmann „Ausgew. Br." I, pag. VI. — XI. Bernhardy Roem. Litt.[3], pag. 652. Leighton l. c. pag. 26 sqq. — [3]) Epist. ad Middleton. Cambridge 1741. pag. 15.

[4]) Comment. in epp. ad fam. praefat. lib. XIV.

[5]) Gesch. Roms VI, 409. — [6]) hist. crit. pag. 32.

terminum missas postea demum collegit, nullam omnino rationem habuisse exemplis multarum aliarum epistularum licet cognosci. Atque quum omnino Romani non eo consilio epistulas legerent, ut ad diem contextam historiam restituerent, sed sive propter delectationem, sive ut cognoscerent, quae consuetudo Tullio cum illustrissimo quoque homini illorum temporum fuisset, sive quo sermone usus esset in scribendo, vix desiderabant temporum ordinem praesertim in eis epistulis, in quibus non de republica, sed de domesticis rebus sermo est.

Restat, ut quaeramus, quo tempore Tiro epistulas edidisse putandus sit. Quam ad quaestionem uno verbo ita respondere possumus, ut dicamus, editas esse epistulas post Ciceronis et ante Tironis decessum. Accidit vero incommode, quod de altero hoc termino iudicium non constat, quia quod Hieronymus in Euseb. chron. ad Ol. 194. 1 (= cr. 750 a. u. c. = 4 a. Ch. n.) adnotat: ***M. Tullius Tiro, Ciceronis libertus, . . in Puteolano praedio usque ad centesimum annum consenescit,*** male consentit cum altero quodam testimonio (ad Att. VI, 7 extr.), quo idem Tiro anno 704 adulescentis nomine significatur. Etenim si anno 750, centesimo aetatis suae, mortuus est, anno 650 natus non potuit anno 704 quinquagesimo quarto aetatis suae adulescens vocari idque a Cicerone duobus annis minore illo. Verum tamen omnia bene se habent, dummodo verbis ***usque ad centesimum annum consenescit*** nihil aliud significari ponamus nisi mortuum eum esse summa senectute. Fieri enim potuit ut circa triginta quinque annos natus adulescens nominaretur, anno 750 autem quadragesimo quarto anno post senex diem obiret supremum.

Postquam igitur terminum latissimis finibus circumscripsimus, ante quem et post quem epistulae non possunt editae esse, accuratius tempus, quod quaerimus, definiendum est.

Qua in re sola ratiocinatione confidere debemus, quum antiquorum scriptorum testimonia nulla exstent, unde certo iudicio proficisci possimus.[1]

---

[1]) Sunt sane verba quaedam a Nepote in ‚vita Attici‘ anno 720 conscripta, quibus Nakeus, Hofmannus, Leighton, alii vim ad hanc quaestionem diiudicandam tribuerunt. Sed quum Nepos narret: „Ei rei (familiaritatis, quae inter Ciceronem et Atticum erat) sunt indicio praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sedecim volumina epistularum . . . ad Atticum missarum“ haec verba ita comparata sunt, ut me iudice nequaquam satis appareat tunc „epistulas ad fam.“ nondum editas fuisse. Certe eodem iure aliquis has epistulas poterit illis libris, qui tunc iam editi erant, adnumerare, quo plerosque id quod contrarium est affirmare video.

Supra vidimus Tironem eas epistulas ineditas retinuisse, quas Octavio offensioni futuras putaret, iam vero, quod et in libris X.—XII. epistularum ad fam., et in Brutinis epistulis multa leguntur, quibus Cicero perfidum Lepidum atque inimicissimum Antonium gravissimis atque infestissimis verbis persequitur, hoc testimonio nobis est editas esse has epistulas non ante quam ***Lepidi atque Antoni arma in Augustum cessere, qui***, ut Taciti verbis utar, ***cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit.*** Tunc nullus fere Ciceronis aequalis ac ne studium quidem pristinae libertatis supererat, omnium animi tranquillati, Augustus ipse pacis et civium securitatis studiosissimus. Nonne unicuique Romano atque etiam Augusto litterarum fautori exoptatum fuisse credamus, quum respicerent ad tempestates modo peractas, ex ipsis illis viris, quibus tunc summa auctoritas in re publica fuerat, tamquam praesentibus cognoscere, qui eorum animus, quae consilia, quae studia fuissent? Qua re non video, quid Tironem impedire potuerit, quominus primo ipso post bellum Actiacum decennio epistulas ederet. Frustratur autem si quis certum quendam editionis annum quaerat, quum singula volumina deinceps per nonnullos annos in vulgus edita esse quamvis non traditum, tamen sit res, de qua dubitari vix possit.